DISPVTATIONES

IN ARISTOTELIS LOGICAM, PHILOSOPHIAM NATVRALEM, ET METAPHYSICAM,

In tres tomos diſtributæ.

TOMVS PRIMVS

In quo examinantur difficultates omnes, quæ ſpectant

AD LOGICAM,

Et iuxta eximiam S. Thomæ Doctrinam reſoluuntur.

AVCTORE

P. D. ANTONINO BOTTO

CONGREGATIONIS SOMASCHÆ

Sacræ Theologiæ Profeſſore.






GENVAE, M.DC.LXXI.

Ex Typographia Antonij Georgij Franchelli.

Superiorum permiſſu.







ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS. D.

D. IO: ANDREAE DORIA

Hiſpaniæ Magnati, Principi Melphi, Marchioni Turriliæ, Comiti Loani, &c.

Antoninus Bottus C. R. Congregationis Somaſchæ Fauſtitatem.



Værenti mihi Philoſophiæ meæ in lucem prodituræ patronum aliquem, qui illam forti præſidio communiret, & inſigni fulgore illuſtraret; protinus occurriſti mihi ante oculos, Princeps Excellentiſſime, & ancipitem animum adeo admiratione tui tenuiſti, vt quidquid optarem, in Te pleniſſimè inueniſſe, ſummopere gauiſus ſim. Duplici enim ſplendore, & virtutis propriæ, & auitæ nobilitatis Te mirificè nitentem vidi, quarum altera præpotens patrocinium, alia lucem maximam poſſet impertiri. Te virtutibus clariſſimis præditum, præſertim literarum amantiſſimum conſiderans, non dubitaui quin operis huius tutelam ſuſcepturus eſſes; nemo enim deſerit, quæ amat. Cum itaque ſummo in honore ſcientias habeas, quibus inſtruere, & exornare animum diligenter ſtudes; vt minimum, quod in Te mirentur homines, ſanguinis claritas, principatus, dominia, & magni-

tudo diuitiarum sit: virtus verò, eruditio, clarioresque ingenij, atque animi dotes Te maximè spectabilem faciant; ad Te auidissimè confugit Philosophia mea: quippe certa spe ducitur, sub nominis Tui impenetrabili clypeo tutam se fore, & ab æmulorum acuta lingua, & à rabido illorum dente, qui cum nobiles disciplinas, à quorum consortio, ob ingenij stoliditatem, exclusi sunt, odio prosequantur, conceptam iram in literatos effundunt, eorumque opera in contemptionem adducere conantur, ne ipsi ob inscitiam contemptui sint. Nullus opinor erit, quamuis impudentissimè mordax, qui ea carpere, despicere, vel improbare audeat, quæ à tanto Principe probari, & in pretio haberi cognoscat; Tuoque aureo in nomine in frõte posito veluti firmissimo in propugnaculo omnia aduersariorum tela infringentur, neque ad opus ipsum confodiendum poterunt penetrare. Splendor verò, quem à nobilitate generis tui expectat, tantus est, quantus in terris maximus possit desiderari. Quæ enim familia tota Italia, vel etiam Europa floret, quæ gentis tuæ, & agnatorum tuorum decora non superare, sed æquare se iactet? Quæ illustriores Ecclesiæ, patriæ, totique Christianæ Reipublicæ heroes dedit? quæ viros toga, & sago celebratiores progenuit? Auorum vero tuorũ memoriam quæ ætas vmquã obliterabit? Quibus vel remotissimis in regionibus eorum nomina omnibus famæ linguis euulgata non sonuere? Quæ maria victricibus classibus non perlustrarunt, quas terras trophæis gloriosissimis non impleuerunt? quam metuendi hostibus fidei, patriæ, & Catholicorum Principum fuere? Hæc ego non memoro, ne ad meridianum solem spectandum oculos prouocare videar, & quæ luce ipsa clariora sunt, alicu-

ius notitiam fugere posse existimare. Quod si nouum decus, quod tibi è contractis sponsalibus, moxque iungendis nuptijs cū Excellentissima Anna Pamfilia Innocentij Decimi pronepte, Farnesiæ, Aldobrandinæ, Burghesiæ, Ludouisiæ multisque alijs Pontificijs, clarissimisque familijs sanguine iuncta adijcitur, spectare velim; videor mihi videre duo primæ magnitudinis astra permistis radijs tantum splendoris effundere, vt mundi vniuersi oculos ad se tractura sint; quid, quid enim lucis ab infulis, & galeis, à sacris, & profanis dignitatibus emanare potest, hic contractum intuebitur orbis, & mirabitur: & Aquilas columbis, laureas oleis coniunctas videns consociatam bello pacem, amori maiestatem, quæ expellere se inuicem solent, cum stupore conspiciet. Nimirum talis Tu es, vt vel pugnantia decora, posita simultate, in Te libenter conueniant, vt suum vnaquæque Tibi fulgorem impertiat, suis vnaquæque opibus locupletiorem faciat. Tanto ergo splendore ditatus solem imitare, qui radios vndequaque fundens summa, & infima profusa liberalitate fouet, ac illustrat. Philosophiam meam, licet pusillam, præsidium tuum implorantem vultu benigno excipe, & sub nominis Tui splendidissimo titulo in publicum exire permitte. Tam mirifico decorata ornamento proculdubio omnium oculos ad se conuertet; nam si gemma erit, inserta auro magis lucebit: si minoris pretij lapis, tantum lucis à te hauriet, vt oculos fallat; atque vt crystallus solis radijs peruasa adamantis venustatem æmulatur, nobiliorum operum speciem, ac similitudinem habebit. Qualemcūq; gloriam consequetur, acceptam tibi omnem referet, & insolubilibus obligationis vinculis Auctorem tibi perpetuò deuinciet. Vale

AVCTOR

AVCTOR
AD LECTOREM.

EXiguam hanc Philosophiam meam offero tibi, amice Lector, in qua omisso inutili verborum apparatu, solis in rationibus sisto; ideoque vno, eoque non magno volumine comprææhendi omnia potuere. Thomisticis sententijs me inhærere fidelissimè videbis; Amore veritatis ad hoc faciendum impulsus sum; nam inter Scholasticos Doctores D. Thomas, eiusque doctrina ad illam magis accedit; quare Innocentius VI. de ea loquens ait. *Nunquam, qui eam tenuit, inuenitur à veritatis tramite deuiasse, & qui eam impugnauit, fuit semper de veritate suspectus.* Scio Recentiores aliquos iactare, se nouæ doctrinæ esse inuentores, quos viri docti irrident, & meritò; nam si antiquorum libros accuratè legissent, aut illius Ecclesiastæ dicti meminissent. *Nihil sub sole nouum; nec valet quisquam dicere, ecce hoc recens est; iam enim præcessit in sæculis, quæ fuerunt ante nos;* ab hac iactantia desisterent. Ego antiquam D. Thomæ doctrinam sequi profiteor, quare si aliquid laude dignum in hac mea Philosophia inuenies; non mihi, sed Angelico præceptori tribue, à cuius vberrimo doctrinæ sole omnis splendor emanat.



APPRO-

APPROBATIONES.

D. Hieronymus Gallianus Præpositus Generalis Clericorum Regularium Congregationis de Somasca.

CVM ex mandato nostro duo nostræ Congregationis Theologi Logicam P. D. Antonini Botti Sacerdotis professi eiusdem Congregationis recognouerint, & in lucem edi posse probauerint, Tenore præsentium facultatem concedimus, vt typis mandetur, si ijs, ad quos spectat, videbitur. In quorum fidem, &c.

Datum Papiæ in Collegio S. Maioli die 13. Iulij 1670.

D. Hieronymus Gallianus Præpositus Generalis C. R. Congregat. Somaschæ.

D. Antonius Barianus à Secretis.

Ex commissione Reuerendissimi Patris Inquisit. Gener. Genuæ.

QVIA primum, quod in vnoquoq; saluatur est natura: hanc in suo opere Philosophico Auctor A. R. P. D. Antoninus Bottus Cler. Reg. Congregationis Somaschæ ad lucem solis Thomistici exaratam, sub censorio examine in primo loco posuit; vt in secundo

loco


oco secũdæ intentiones Logicales, quę sunt directiuæ operationum intellectus sub eadem censura, & commissione Reuerendiss. P.F.Sixti Cerchij Sac. Theol. Magistri, Generalis Inquisitoris Genuæ, totiusq; Serenissimi Dominij scrutinarentur; scrutinatæ sunt vtiq; à me infrascripto, & vidi, quòd eadem Thomistica luce securitatis perfusæ Logicales veritates, dubietatis tenebræ diffugient à Tyronibus; si àd ingressum huius Artis artium, & scientiæ scientiarum, habent vnde ab Auctore fidelissimo Thomista nucleus veritatis fracta veluti cortice proponatur ipsis; & quasi de abstrusis fauorum cellis, mella extrahant: & spicis manibus confricatis, ad grana latentia, habent vndè perueniant: Hac vnica igitur censura sit contentus Auctor, quòd nulla; & ideò vt Typis mandetur sic censeo hac prima die Ianuarij anni 1671. in Conuentu nostro Sanctæ Mariæ Castelli Genuæ.

Fr. Thomas Maria Gioui S. Theol. Magister Sancti Offic. Consult. & in eodem Conuentu Theologiæ Lector Primarius.

Imprimatur attenta prædicta attestatione.
Fr. Sixtus Cerchius Inquisitor Generalis Genuæ.

1671. 6. Februarij.
Imprimatur.
Ex auctoritate Excellentiss. & Illustriss. Magistratus Inquisitorum Status.
Io: Franciscus Castagnola Cancell.

BREVIS




BREVIS INTRODVCTIO AD LOGICAM.





Equum est, vt antequam ad profundiores cuiuslibet scientiæ veritates Tyrones introducantur, leuiora aliqua, & faciliora addiscant, quibus ad alia occultiora, & à sensibus remotiora, via facilis & expedita præparetur. Qua de causa, cùm Dialetica difficillima sit, librique, quos de ea scripsit Aristoteles, non nisi peritis pateant; ideò optimo consilio, communique Dialecticorum consuetudine institutum est, vt ante ipsam Dialecticam introductio aliqua præmittatur, in qua faciliora quædam præcepta proponantur, simulque tradatur rudis aliqua notitia vocum, seu terminorum, quibus in scientijs pertractandis frequenter vtimur. Ad hoc autem inseruit tractatus iste, qui totus insistit in tradenda notitia vocum, quæ omninò prærequiritur ad veram rerum cognitionem comparandam: vndè meritò appellatur introductio, quia viam præparat ad Logicam, aliasq; scientias addiscendas. Hunc autem tractatũ in tres disputationes diuidimus; in prima agemus de vocibus simplicibus, seu terminis, & eorum proprietatibus; in secunda de propositione, & passionibus eius, & in tertia de argumentatione, eiusque speciebus.



PRÆAMBVLVM I.

De modo sciendi.

QVia ad acquirendam aliquam cognitionem multũ iuuat præscire modum, quo illa sit comparanda, ideò priùs quàm ad singulas huius tractatus disputationes accedamus, aliqua de modo sciendi tradenda sunt, quæ, ne propriam inuertamus methodum, vt præambulum præmittimus.

De modo sciendi in communi.

1. MOdus sciendi est *oratio ignoti manifestatiua.* Oratio autem *sunt plures voces congerue se habentes, & diuersa significantes*, vt animal rationale. Vndè excluditur à ratione orationis terminus æquiuocus, v. g. canis, qui licèt diuersa significet, non tamen est plures voces. Excluduntur etiam termini synonomi, vt Marcus Tullius Cicero: nam licèt sint plures voces, non tamen significant diuersa.

2. Vt autem intelligatur, quid sit ignotum manifestare, sciendum

est, ignotum esse duplex; aliud incomplexum, vt *homo*: aliud complexum, vt hæc propositio, *Homo est risibilis*. Manifestare autem tunc propriè dicimus, quando rem in cōfuso, & in tenebris latentem, in palam adducimus, & explicamus. Quare modus sciendi erit oratio illa, in qua aliquod ex his ignotis de confuso in palam adducitur, & explicatur. Et hic est sensus allatæ definitionis, in qua *oratio* ponitur loco generis, quia in illa conuenit modus sciendi cum alijs orationibus, quæ non sunt modus sciendi, vt cum propositione, & similibus. Aliæ verò particulæ ponuntur loco differentiæ, quia solùm oratio, quæ est modus sciendi, habet ignotum manifestare.

3. Huiusmodi autem modus sciendi est triplex, scilicet definitio, diuisio, & argumentatio. Cuius partitionis sufficientia ostenditur ex præfata diuisione ignoti. Si enim illud fuerit complexum, manifestatur per argumentationem: si verò incomplexum, vel ignoramus essentiam, & hanc explicat definitio: vel partes eius, & has manifestat diuisio. Ergo sicut nullum aliud datur ignotum, quod manifestetur, ita nullus alius datur modus sciendi, qui manifestet. Sit exemplum in homine, cuius si ignores essentiam, manifestatur per definitionem dicendo: *est animal rationale*. Si verò ignores partes eius, manifestantur hac diuisione: *Hominis alia pars anima, alia corpus*. Et tandem si ignores propriam passionem, quæ de illo prædicatur in hac propositione, *Homo est risibilis*, manifestatur per hanc argumentationem: *Omne rationale est risibile, omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est risibilis*.

4. Dices: Propositio est modus sciendi; nam si ignoranti naturam hominis dicatur, *homo est animal*, verè manifestatur illi aliquod ignotum: & tamen non est definitio, diuisio, aut argumentatio: ergo modus sciendi non est tantùm triplex. ¶ Respond. propositionem verè non manifestare ignotum, quia secundū quod est propositio, non necessariò affert res notiores, in quo consistit manifestatio modi sciendi. Quòd si aliquando in illa contineatur definitio, aut diuisio, vt cum dicitur, *homo est animal rationale*, aut *hominis alia pars est anima, alia corpus*; tunc quidem propositio manifestat ignotum, non tamen ratione sui, sed ratione definitionis, aut diuisionis, quę in ea includuntur.

De Definitione.

5. DEfinitio est: *oratio explicans essentiam rei*. In qua definitione *oratio* ponitur loco generis: alia verò ponuntur loco differentię: quia in ratione orationis conuenit definitio cum alijs modis sciendi, & per explicare essentiam rei differt ab illis. ¶ Duplex autem est definitio, essentialis scilicet, & descriptiua. Definitio essentialis explicat essentiā rei per partes essentiales: quæ si fuerint metaphysicæ, nempe genus, & differentia definitio dicitur metaphysica, vt *animal rationale*, est definitio essentialis metaphysica hominis. Si verò fuerint physicæ, scilicet materia, & forma, definitio dicitur physica, vt *esse constans corpore, & anima rationali*, est definitio essentialis physica hominis. Definitio verò descriptiua explicat essentiam rei per proprias passiones, vt *esse animal risi-*

visibile, descriptiuè explicat essentiam hominis.

6. Dices: præter definitionem essentialem, & descriptiuam, datur definitio accidentalis, quæ traditur per accidentia communia, vt si dicas, *Homo est animal pulchrum, bipes, implume, habens caput erectum*: ergo definitio non est tantùm duplex. ¶ Respond negando antecedens, reducitur n. dicta definitio ad descriptiuam, eo quia omnia illa accidentia communia, simul iuncta, quodammodo sunt propria definiti, quamuis separatim sumpta conueniant alijs.

7. Quinque sunt regulę bonę definitionis *Prima est*, quòd definitio sit clarior suo definito. Et ratio est, quia illud manifestare debet; quomodo autem illud manifestaret, si esset ęque obscura cum illo? *Secunda*, quòd definitum non ingrediatur definitionem; si n. ingrederetur, idem esset notius, & ignotius. *Tertia*, quòd non sit superflua, nec diminuta: superflua n. potius parit confusionem, quàm claritatem. Diminuta verò non explicat totam essentiã definiti *Quarta*, quòd definitio constet genere, & differentia, vel saltem aliquo supplente vicem generis, & differentiæ. Cum enim essentia cuiuslibet rei, quæ per definitionem explicatur, habeat aliquid cum alijs commune, quod appellatur genus, & aliquid sibi proprium, & peculiare, quod dicitur differentia, planum fit, vtrumque exprimendum esse in definitione, vt explicari possit tota natura definiti. *Et quinta tandem*, quòd definitio conuertatur cum definito, & è contra: quia definitio continet totam essentiam definiti; ergo nulli alteri conuenire potest.

8. Iuxta quas regulas duo sunt modi arguẽdi in definitione. *Primus est*: à definitione ad definitum affirmatiuè, & negatiuè, & è contra, est bona consequentia, vt est animal rationale; ergo homo: Non est animal rationale; ergo non est homo: Et è contra. *Secundus est*: quidquid prædicatur de definitione, prędicetur de definito, & è contra: valet n. homo est bipes; ergo animal rationale est bipes; & è contra. Hoc autem intelligendum est de prædicatis realibus, non verò de intentionalibus, seu prędicatis rationis; non n. valet, definitio est modus sciendi; ergo definitum est modus sciendi. Nec similiter, animal rationale est oratio; ergo homo est oratio; & sic de cæteris.

9. Circa autem modum loquendi obseruandum est, quòd inquirẽti, quæ sit ista definitio? responderi debet, est essentialis, vel descriptiua, physica, vel metaphysica Si verò inquiratur, qualis sit ista definitio? responderi debet, est bona, vel mala: erit quidem bona, si seruet leges assignatas; mala verò, si illas transgrediatur. Nunquam tamen definitio dicenda est vera, vel falsa, cum non sit propositio, cuius est, verum vel falsum significare.

De Diuisione.

10 DIVISIO est *oratio distribuens totum in suas partes*. Quæ definitio eodem modo explicatur, ac definitio definitionis: nam ly *oratio* ponitur loco generis; alia verò ponuntur loco differentiæ. Est autem triplex, potentialis, actualis, & accidentalis. Diuisio potentialis est illa, qua totum diuiditur in partes, quas sub se, & in potentia continet.

Et hæc est duplex, alia generis in species, alia analogi in analogata. Diuisio actualis est illa, qua totum diuiditur in partes, ex quibus componitur, siue illæ sint physicæ, vt hominis alia pars anima, alia corpus: siue metaphysicæ, vt hominis alia pars animal, alia rationale: siue integrantes, vt hominis alia pars caput, alia manus, &c. & ideo diuisio actualis subdiuiditur in physicam, metaphysicam, & integralem. Diuisio denique accidentalis est illa, qua totum accidentale diuiditur in suas partes. Et hoc fit multipliciter: *primò*, quando diuiditur subiectum in accidentia, vt corpus aliud album, aliud nigrum. *Secundò*, quando è contra diuiditur accidens in subiecta, vt album aliud nix, aliud papyrus. Quibus solet addi tertia, diuisio scilicet accidentis in accidentia, vt cum dicimus, album aliud frigidum, aliud calidum. Sed hæc diuisio reducitur ad diuisionem subiecti in accidentia, quia tunc album, quod est diuisum, habet rationem subiecti respectu caloris, & frigoris.

11. Regulæ pro bona diuisione sunt. *Prima*, quòd membra diuidentia sint inter se distincta; aliàs nō essent partes, de quarum ratione est, se inuicem excludere. *Secunda*, quòd membra diuidentia seorsim sumpta sint inferiora diuiso, illudque coniuncta ita adæquent, vt non excedant. Et ratio vtriusque est: quia diuisum est totum, & membra diuidentia partes: totum autem licèt excedat vnam partem, non tamen excedit omnes, neque exceditur ab eis. Et *tertia* est, quòd diuisio tradatur per pauca membra diuidentia, ne eorum multitudo obscuritatem, & cōfusionem pariat. Propter quod diuisiones communiter assignantur per membra contradictoria, exprimendo scilicet membrum principale, & loco aliorum negationem eiusdem principalis, vt cum dicimus: *Animal aliud rationale, aliud irrationale. Viuens aliud sensibile, aliud insensibile*. Et sic de alijs.

12. Vt autem hęc conditio sit vndequaque recta, intelligenda est cum grano salis: nam si omnia membra diuidentia alicuius diuisi nota fuerint, & in diuisione enumerentur, procul dubio diuisio erit bona; quia licèt per accidens ex defectu nostri intellectus fortè generet confusionē, secundùm se tamen est manifestatiua multiplicitatis diuisi. Cæterum, quia non semper nota sunt omnia membra diuidentia, vel dato quòd sint nota, non tamen sunt necessaria ad propositum, de quo agitur; ideo frequentius solet diuisio tradi per pauca membra, comprehendendo sub aliquo eorum alia, quæ sub diuiso continentur. In quo sensu intelligenda est prædicta regula.

13. Pro qua etiam secundò notādum est, quòd quando diuisio datur per vnum membrum positiuum, & aliud negatiuum, vt in hac: *Animal aliud rationale, & aliud irrationale*: tunc membrum negatiuum nempe *irrationale*, non est intelligendum purè negatiuè: sic n. non solùm conuenit brutis, sed etiam plantis, elementis, & alijs, quæ non continentur sub animali, siquidem omnia hęc non sunt rationalia. Sed priuatiuè, vt scilicet significat intra proprium diuisum carentiam alterius membri positiui; & isto modo irrationale est membrum diuidens in prædicta diuisione.

14. Tres sunt modi arguendi circa

ta diuisionem. *Primus est*, à diuiso ad omnia membra diuidentia, & è contra, valet consequentia tam affirmatiuè, quàm negatiuè: vt est animal, ergo rationale, vel irrationale: Est rationale, vel irrationale, ergo est animal. *Secundus*, à membro diuidenti ad diuisum valet affirmatiuè; non tamen negatiuè: vt est homo, ergo animal. Non est homo, non valet, ergo non est animal. A diuiso verò ad quodlibet membrum diuidens, valet negatiuè, non autem affirmatiuè: vt non est animal, ergo neque homo: non tamen valet: est animal, ergo homo. *Tertius*, à diuiso cum negatione vnius, vel plurium membrorum secundùm qualitatem diuisionis, ad affirmationem alterius membri restantis, bene valet consequentia, vt est animal, & non rationale, ergo irrationale.

15. Modus autem loquendi in diuisione idem est, ac in definitione: nam interroganti, quæ sit hæc diuisio? respondetur, potentialis, vel actualis, &c. Si verò inquiratur, qualis sit? respondetur, bona, vel mala, non tamen vera, vel falsa.

De Argumentatione.

16. Argumentatio est *oratio, in qua vnum ex alio inferri denotatur*, vt Petrus ambulat, ergo mouetur. Ex quo sequitur primò, ad argumentationem non sufficere, quòd vnum possit inferri ex alio, sed necesse est, vt explicetur illatio; propter quod ista non est argumentatio: *Petrus ambulat, & mouetur*: quia ibi non explicatur motum inferri ex ambulatione.

17. Secundò sequitur, tria reperiri in argumentatione, primum est id, ex quo aliquid infertur: quòd si fuerit vnica propositio, dicitur *antecedens*? si verò fuerint duæ, prima dicitur maior, & secunda minor. Secundum est id, quod infertur ex antecedenti, & dicitur consequens. Tertium est nota illationis, quæ dicitur consequentia, quia indicat consequens inferri ex antecedenti.

18. Hęc autem nota illationis triplex est, alia conditionalis, in qua illatio fit media particula *si*, vt si homo currit, mouetur. Alia rationalis, in qua ponitur particula *ergo*, vel *igitur*, vt Petrus est rationalis, ergo risibilis. Et alia causalis, in qua ponitur particula *quia*, vel similis, vt quia homo est rationalis, est admiratiuus. Cum ergo triplex sit nota illationis, triplex etiam erit argumentatio, scilicet conditionalis, rationalis, & causalis. Relictis autem conditionali, & causali, quarum vsus non est ita frequens in disputationibus, solùm agimus de argumẽtatione rationali. Et hæc est quadruplex, scilicet syllogismus, enthimema, inductio, & exemplum. Syllogismus est argumentatio constans tribus propositionibus, maiori scilicet, minori, & consequentia. Enthymema est argumentatio constãs duabus, nempe antecedenti, & consequenti. Inductio est argumentatio, in qua ex pluribus singularibus infertur aliquod vniuersale. Et tandem exemplum est argumentatio, in qua ex aliquo singulari aliud singulare simile colligimus.

19. De modo seruando inter disputantes plura dicunt DD. nos tres tantùm regulas tradimus. *Prima est*, vt non defendatur id, quod clarè est falsum; neque negetur id, quod manifestè est verum. *Secunda*, vt ar-

guens breuiter, & perſpicuè proponat argumentum, neque extra formam aliquid loquatur. Et in probationibus ita ſe debeat gerere, vt propoſitio à reſpondente negata, ſit conſequens argumenti ſuccedentis ex vi eiuſdem medij. *Tertia* tandē, vt reſpondens reſumat argumentum integrum à contrario propoſitum, & poſtea iterum illud repetat; & ſi maior fuerit falſa, negetur; ſi vera, concedatur; ſi ambigua, diſtinguatur: ſi verò fuerit argumento indifferens, itaut ad illud non interſit, an ſit vera, vel falſa, dicatur tranſeat. Et idem dicimus de minori, quod diximus de maiori. Quacumque tamen negata, ibi ceſſat reſponſio. Si autem minor concedatur, repetetur conſequens, quod nec concedi, nec negari poteſt, ſed tantùm diſtingui: & ſecundùm vnum, aut alterum ſēſum eius concedetur, vel negabitur conſequentia. Non licèt reſpondenti, cum concedit, aut negat aliquam propoſitionem, amplius loqui. Si verò diſtinxerit, licebit membra diſtinctionis breuiter explicare.

PRÆAMBVLVM II.

De ſigno.

1. QVia voces non peotinent ad inſtitutum dialecticum ſecundùm ſuam realem entitatem, ſed ſecundùm quòd impoſitæ ſunt ad ſignificandas res, ideo antequam de ipſis agamus, opere prætium eſt breuiter exponere, quid, & quotuplex ſit ſignum. Signum autem eſt illud, *quod præter ſui cognitionem, alterius cognitionem inducit*, vt fumus eſt ſignum ignis, quia viſo fumo, ſtatim ducimur in cognitionem ignis occulti. Quo fit, vt cuilibet ſigno duplex cognitio correſpondeat: vna, qua ſignum cognoſcitur, vt cognitio fumi: altera, qua cognoſcitur res illa, cuius eſt ſignum, vt cognitio ignis.

2. Duplex autē eſt ſignum, aliud naturale, aliud ad placitum. Signū naturale eſt, quod ex natura ſua, & non ex voluntate hominum, aliquid repręſentat: vt fumus eſt ſignum ignis. Signum verò ad placitum è contra eſt, quod ex hominum inſtitutione, & nō ex natura ſua aliud repræſentat: vt ſonus campanulæ per ſex ictus eſt ſignum ſcholæ. Hìc eſt aduertendum, quòd impoſitio ſigni ad placitum fieri debet auctoritate publica, & priuata non ſufficit.

3. Dices: Imago Cęſaris non ſignificat illum naturaliter; quia non à natura, ſed ab arte habet, vt ſignificet Cęſarem. Neque ad placitum, quia ſi imago Cęſaris ſit vera eius effigies, non dependet ex hominum voluntate, quòd Cęſarem repræſentet. Ergo prædicta diuiſio eſt inſufficiens. ¶ Reſpond. Imaginem Cęſaris eſſe ſignum naturale illius, quia quamuis præceſſerit ars, qua fuit depicta, facta tamen imagine, iam ſignificat ex naturali ſimilitudine, & non ex hominum impoſitione ipſum Cęſarem.

4. Quæres primò. Quid voces ſignificent? Reſp. ſignificare tùm conceptus noſtros, tùm res ipſas, quas concipimus. Cum enim profero hanc propoſitionem, *Petrus eſt albus*, & meum conceptum ſignifico, & rem ipſam à me conceptam. Sicut qui illam audit, non ſolùm meum conceptum, verùm etiam albedinem à parte rei ineſſe Petro, percipit.

5. Quæres secundò. Quodnam ex his principaliùs significetur à vocibus? Respond. voces principaliùs significare mentis nostræ conceptus, & minus principaliter res ipsas Probatur, quoniam illud principaliùs voces significant, ad quod significandum primò sunt institutæ: sed primò sunt institutę ad manifestandum alijs nostræ mentis conceptus: ergo eos principaliùs significant. Probatur minor; quia voces primò inuentæ sunt, & res nominatæ, vt animal sociabile, quale est homo, suos occultos sensus alijs manifestaret: ergo ad illos significandos primò institutę sunt.

6. Ob. 1. Id principaliùs significant voces, quod immediatè reprę-sentant; atqui non conceptus, sed res immediatè repræsentant: ergo res, non autem conceptus principaliùs significant. Prob. min. quoniā id immediatè repræsentant, cuius immediatè generant cōceptū in mente audientis: sed immediatè generāt cōceptum rei, & non conceptum cōceptus: ergo non conceptus, sed res immediatè repræsentant. Probatur minor, quia audita hac voce, *Petrus currit*, statim generatur conceptus in mente audientis, quòd Petrus currat; & nihil curat audiens de cōceptu loquentis. ¶ Resp. hoc argumentum laborare in æquiuoco; cū enim dicimus, voces principaliùs, & immediatè mentis nostræ conceptus significare, non intendimus id dicere de conceptibus in actu signato, sed de illis in actu exercito. Satis enim clarum est, loquentem, cum dicit, *Petrus currit*, non dicere in actu signato, ego concipio Petrum currere; vnde nec audiens talem cōceptum vt sic per voces dignoscit. At certè cum non proferat hanc propositionem, nisi priùs pręconcipiat illam, & illud intendat manifestare, quod concipit. Quis non videt in actu exercito suū conceptum primò manifestare?

7. Ob. 2. Detur puer, qui mente didicerit duo, vel tria verba gręca, & proferat illa coram callente linguam gręcam; nihil tamen sciat puer de sensu verborum, tunc non potest per verbum illud gręcum suum significare conceptum, cum dictus puer de illis verbis nullū habeat conceptum, nec sciat quid significent; & tamen ille, qui linguā callet, intelligit, quid verba illa significent: ergo voces non sunt institutæ ad signicandum conceptus mentis, sed res ipsas. ¶ Respondeo dupliciter. *Primò*, quòd voces illæ respectu pueri, non sunt voces humanę; non enim loquitur vt homo; sicut si *biltri* diceret, quod nihil significat: in præsenti autem loquimur de vocibus humanis, quibus vnusquisque vtitur ad exprimendos suos conceptus; quæ voces non sunt eędem apud omnes. *Secundò*, etiā in hoc casu voces illas de se primò natas esse ad significandum nostræ mentis cōceptus, per accidens verò, quia humano modo nō proferūtur, conceptum pueri non significare.

8. Quæres tertiò. An voces sint signa naturalia, vel ad placitum? communior sententia docet, vocū humanarū significationem esse omnino ad placitum. Cuius ratio est, quia solo hominum placito factum est, vt hęc vox *homo*, animal rationale significaret: & idem est dicendum de alijs vocibus; Quod colligitur ex verbis Scripturæ Sacræ, Genes. 2. *Formatis igitur Dominus*

Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adã, vt videret, quid vocaret ea: omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius. Confirmatur, hoc argumento, Natura semper se habet eodem modo apud omnes nationes: ergo quæ nõ sunt eadem apud omnes non sunt naturalia, sed ex diuerso hominum placito variantur: at voces sunt diuersę apud diuersas nationes, nam diuersis vocibus Gręci, & Latini hominem significant, pro diuersitate linguæ: ergo voces non naturaliter, sed ad placitum significant.

9. Sed his non obstantibus dico, voces esse signa naturalia, cum aliqua tamen indeterminatione Quam sentẽtiam tenent aliqui recentiores. Pro cuius explicatione noto, signa esse in duplici differentia, quędam quæ determinatè vnum tantùm significant, vt fumus ignem; hic fumus hunc ignem. Alia verò non sunt ita determinatè significantia, vt atra vestis est signum mortis alicuius cõsanguinei; tamen adhuc illa visa, nescimus, an propter mortem Patris, vel alicuius alterius illa quis induatur. Hoc posito, Dico: si voces accipiuntur in quantum ad id, quod determinatè significant, illarum significatio est ad placitum, vt probat argumentum factum. Si verò cum aliqua indeterminatione sumantur, sunt signa naturalia. Et probatur, quoniam illud dicitur signum naturale, quod habet necessariam connexionem cum re significata: atqui talis est vox tàm respectu cõceptuum, quàm respectu rerum indeterminatè sumptarũ: ideo enim natura dedit nobis voces, vt nostros alijs manifestemus conceptus; & res conceptas significemus: ergo sunt, &c. Confirmatur, ideo laurus ante tabernam nullo modo est signum naturale, quia naturaliter non est instituta ad significandũ: si ergo voces datæ sunt hominibus à natura ad hunc finem, vt per illas significarent suos conceptus &c. erunt signa quodamodo naturalia, & non omninò ad placitum.

10. Ob. 1. Natura non minus prouidit hominibus, quàm brutis: sed bruta habent voces naturaliter omnino significatiuas omnium eorum, quæ significare possunt: ergo idem dicendum est de hominibus; ac proindè eorum voces non erunt signa ad placitum, sed omnino naturalia. Probatur minor; nam Bruta per vnam vocem significant famem, siue appetitum cibi, & molestiam ex eius carentia, eo pacto quo paruæ auiculę significant matri talem appetitum, vt ab ipsa cibus afferatur: per aliam vocem delectationem ex cibi pręsentia, vt cum gallina inuẽto cibo dat signum pullis suis, vt accurrant ad illum sumendum: per aliam significant iram, siue appetitum vindictę ex pręsentia hostis: per aliam timorem, & appetitum fugę, & sic de alijs. Atqui hæc omnia naturaliter significant: ergo, &c. ¶ Respond. negando paritatem, & ratio discriminis est, quia bruta nullo modo sunt agentia libera, sed tantùm necessaria: at verò homines vtrumque habent, nam respectu aliquarum actionum sunt agentia determinata, non autem respectu aliarum. In illis, quę sunt determinata à natura, etiam homines habent voces, quę naturaliter, & non ad placitum significant, vnde suspiria, gemi-

gemitus, & similia in hominibus sũt signa naturalia alicuius internę passionis. In illis verò, quę sunt libera, signa ad ea exprimenda, non fuerunt determinata à natura, sed relicta ab hominibus determinanda per liberam eorum electionem. Vnde non sequitur, quòd natura defecerit in necessarijs cum hominibus; nam propterea dedit eis potentiam articulandi voces, & non brutis, quia homines, & non bruta debebāt aliquibus vocibus significationem imponere.

II. Ob. 2. Si voces significant ad placitum, debuerunt homines ab initio significare placitum, & voluntatem dandi vnicuique voci suā significationem: sed non aliter potuerunt significare talem voluntatē, quàm per voces significatiuas; ergo ante primam institutionem dabantur voces significatiuę: istę non erāt significatiuę ex institutione, quia significabant ante omnē institutionem: ergo erant significatiuę naturaliter. ¶ Respond. primas linguas esse non ab hominibus, sed à Deo, qui primis hominibus infudit cognitionem linguę hebraicę, & post diluuium infudit triginta duabus familijs, quę conuenerant ad ędificandam babilonicam turrim, notitiam septuaginta duarum linguarū. Talis autem linguarum infusio facta fuit per infusionem specierum intentionalium repręsentantiū voces talium linguarum, & earum significationem, quę species similes erant illis, quas nos acquirimus, dum linguas addiscimus. Si verò homines ab initio creati fuissent sine cognitione illius linguæ, dico quòd pactum instituendi primas linguas exprimere potuissent per nutus, qui sunt signa naturalia: sicut de facto muti suos conceptus manifestant nutibus, quorum significatio percipitur ab omnibus gentibus.

DISPVTATIO I.

De Terminis.

1. TErminus *est extremum propositionis*. Sicut enim extrema puncta alicuius lineæ dicuntur eius termini; quia talis linea non habet vllam sui partem extra illa: sic etiam extrema propositionis, nempè subiectum, & prædicatum, vocantur termini, quia intra illa tota propositio clauditur. Et ideo in definitione adducta *extremum* ponitur loco generis; quia in illo conuenit terminus logicus cū extremis lineæ, & aliarum rerum: loco verò differentiæ ponitur ly *propositionis*, quia per hoc differt ab illis: siquidem vltima puncta sunt extrema lineæ; terminus verò logicus est extremum propositionis.

2. Primò diuiditur terminus in subiectum, & prædicatum. Prædicatum est terminus, qui dicitur de alio, & subiectum est terminus, de quo dicitur aliud: vt in hac propositione, *homo est animal*, animal est prædicatum, quia dicitur de homine, & homo est subiectum, quia de ipso dicitur animal.

3. Secundò diuiditur in categorematicum, & sincategorematicum. Categorematicus idem valet, ac significatiuus, & est ille, qui aliquid per se significat; seu qui in propositione est integrum subiectum, aut prædicatum, vt *homo, leo, &c.* Sincategorematicus, idest, consignificatiuus, est ille, qui per se separatus non significat aliquid, coniun-

ctus tamen categorematico facit illum aliter significare, vt *omnis*, *nullus*, *aliquis*, *vterque*, & similes: propter quod dicitur consignificatiuus. His solet addi terminus mixtus, qui scilicet virtualiter includit duas voces, quarum altera est terminus categorematicus, altera verò syncategorematicus, vt *nemo*, idest, nullus homo.

4. Tertiò terminus categorematicus subdiuiditur in complexum, & incomplexum; complexus, vt *homo albus*, qui simpliciter non est terminus, sed potiùs oratio, quia plures includit voces. Incomplexus, vt *homo*, *leo*, & omnes voces simplices. Qui est triplex, alius vniuocus, vt homo respectu Petri, & Pauli: alius æquiuocus, vt canis respectu marini, & terrestris: & alius analogus, vt ens respectu substantiæ, & accidentis, vel sanum respectu animalis, vrinæ, & medicinæ.

5. Quartò diuiditur terminus in communem, & singularem. Terminus communis est, qui significat plura diuisim, vt animal significat hominem, equum, & cęteras species, quæ continentur sub genere animalis. Terminus verò singularis est, qui tantùm significat vnum, vt Petrus; aut plura coniunctim, vt Roma. Et est quadruplex, scilicet determinatus, nempe qui vnum determinatè significat, vt Petrus. Demonstratiuus, qui scilicet signo demonstratiuo afficitur, vt hic homo. Ex suppositione, qui scilicet quamuis plura significare posset, tamen suppositione facta, vnum tantùm significat; quomodo filius virginis significat Christum. Et vagus, qui scilicet significat vnum, non determinando, an sit hoc, vel illud, vt quidam homo.

6. Quintò terminus diuiditur in concretum, & abstractum. Concretus est, qui significat formam cõcernendo subiectum, vt album, quod significat albedinem in subiecto, & homo, qui significat humanitatem in supposito. Abstractus est, qui tantùm significat formam, vt albedo, & humanitas. ¶ Sextò diuiditur in absolutum, & connotatiuum. Absolutus idem est, quod apud Grammaticos nomen substantiuum, & est ille, qui significat per modum per se stantis. Connotatiuus idem valet ac nomen adiectiuum, & est ille, qui significat per modum alteri adiacentis. ¶ Septimò diuiditur in terminum finitum, & infinitum. Infinitus, est qui afficitur negatione infinitante, vt non homo; Finitus verò est, qui simili negatione caret. ¶ Vltimò diuiditur in terminum primę, & secundę intentionis. Terminus primæ intentionis est, qui significat rem secundùm id, quod habet à parte rei, vt homo, equus, &c. terminus verò secundæ intẽtionis est, qui significat rem secundùm id, quod habet ex consideratione intellectus, vt genus, species, & similia.

7. Cognita iam essentia, & multiplicitate terminorum, restat corũ propietates inuestigare, quæ sunt sex, scilicet suppositio, ampliatio, restrictio, alienatio, diminutio, & appellatio. ¶ Suppositio est *positio termini loco alicuius*; vt in hac propositione, *animal disputat*, ly animal supponit pro homine; solus enim homo ex animalibus disputat. Similiter in hac alia propositione, *homo est species*, ly homo supponit pro natura humana in communi, nó

autem

autem pro Petro, vel Paulo; Petrus enim vel Paulus non sunt species, sed indiuidua speciei. E contra verò in hac alia propositione, *Petrus est indiuiduum*, ly Petrus nō supponit pro natura humana in cōmuni, sed pro hoc indiuiduo, nempè Petro. Vndè sicut non valet hęc consequentia, homo est species, ergó Petrus est species. Ita nec valet hęc alia, Petrus est indiuidu um, ergo homo est indiuiduum.

26. Ampliatio est *extensio termini à minori ad maiorem suppositionem*; vt in hac propositione, *Auarus appetit pecunias*, ly pecuniæ ampliātur ad omnes differentias temporis: quia reddit hunc sensum. Auarus appetit pecunias, quæ sunt, vel fuerunt, vel erunt, vel sunt possibiles, vel imaginariæ. ¶ Restrictio è contra est *coartactio termini à maiori ad minorem suppositionem*; vt in hac propositione, *Homo, qui est iustus, diligit Deum*, vbi ly homo restringitur ad solos iustos. Sicut similiter in hac alia, *Homo albus disgregat visum*, ly homo restringitur ad solos albos. ¶ Alienatio est *translatio termini à propria ad impropriam significationem*; vt in hac propositione, *vicit leo de tribu Iuda*, vbi leo transfertur à propria significatione ad significandum Christum Dominum. ¶ Diminutio est *detractio partis suppositionis*; vt in hac propositione, *Æthyops est albus secundùm dentes*, ly albus non supponit pro toto homine, sed pro quadam eius parte, scilicet dentibus.

27. Appellatio tandem est *applicatio significati formalis vnius termini ad significatum alterius*. Pro cuius intelligentia sciendum est in termino concreto duplex significatum reperiri: alterum formale, & est ipsa forma, quam concretum significat, vt humanitas, & albedo sunt significata formalia hominis, & albi. Alterum verò materiale, & est subiectū, seu suppositum, quod concernit nomen concretum; vt corpus est significatum materiale albi; & persona est significatum materiale hominis. Appellare ergo erit applicare significatum formale vnius termini ad significatum siue materiale, siue formale alterius. Et propterea terminus, qui applicatur, dicitur appellans; ille verò cui applicatur, dicitur appellatus.

28. Hinc sequitur, appellationem esse duplicem; aliam materialem, nempe quando applicatur significatum formale vnius supra significatū materiale alterius: vt in hac propositione. *Petrus logicus est magnus*, vbi magnitudo non applicatur Petro ratione logicæ, sed ratione corporis. Aliam formalem, quando scilicet applicatur significatum formale vnius supra significatum formale alterius; vt si dicas: *Petrus est logicus magnus*. Ibi enim magnitudo non appellat supra Petrum ratione corporis, sed ratione logicæ.

29. Quatuor sunt regulæ obseruandæ pro appellationibus cognoscendis. Quarum prima est: quando subiectum est terminus concretus, & prædicatum connotatiuus; connotatiuus applicat suum formale significatum supra materiale concreti. Et hac de causa ista propositio est falsa, *Christus est factus*; quia illud participium appellat supra suppositum Christi Domini, quod est Verbum diuinum, cui repugnat fieri. Et eadem ratione hæc est vera, *Christus est æternus*.

30. Secunda regula est: quando

ex parte subiecti sunt nomen absolutum, & connotatiuum, & ex parte prædicati est aliud connotatiuum, istud appellat supra absolutū, quod est à parte subiecti; vt in hac propositione, *Petrus logicus est magnus*. Ibi magnitudo tantùm appellat supra Petrum, & non supra logicam. Si verò à parte subiecti sit tantùm substantiuum, & à parte prædicati duo adiectiua, seu connotatiua, tunc vnum adiectiuum appellat supra aliud; vt in hac propositione, *Petrus est logicus magnus*.

31. Tertia regula est: verba significantia aliquem actum siue internum, siue externum, applicant suā actionem supra significatum formale termini, cui iungitur, & non supra materiale; vt cum dicis: *vidi Papam*, vel *facio calceum* Sensus est, te vidisse Papam dum erat Papa; & efficere formam calcei, non verò eius materiam.

32. Quarta tandem regula est: quòd nomina numeralia, vt duo, tres, quatuor, quando applicantur terminis substantiuis, non solùm appellant supra significatum materiale, sed etiam supra formale, & ideo vtrumque multiplicant; vt si dicas, *video tres homines*: sensus est, video tria supposita habentia tres humanitates. Si verò talia nomina applicētur terminis adiectiuis, solùm appellant supra significatum materiale eorum, & illud tantùm multiplicāt, non verò significatum formale; vt cum dicis, *vidi duo alba*: sensus est, vidisse duo subiecta habentia albedinem; essetque propositio vera etiam si per impossibile vna albedo esset in vtroque. ¶ Propter hanc regulam ista propositio est hæretica, *in diuinis sunt tres Dij*: quia reddit hunc sensum: in diuinis sunt tria supposita habentia tres deitates. Quod est contra fidem. Istæ verò sunt veræ, & catholicæ: *in diuinis sunt tres diuini, Tres omnipotentes, Tres sapientes, Tres æterni*, &c. Si hæc omnia sumantur adiectiuè Quia sensus est; in diuinis sunt tria supposita habentia Deitatem, omnipotentiam, sapientiam, æternitatem, &c. non verò si sumantur substantiuè. Videatur D. Th. 1. part. quæst. 39. art. 2.

DISPVTATIO II.

De Propositione.

1. PRopositio *est oratio, verum vel falsum significans*. Constat subiecto, & prædicato tanquam partibus principalibus, & copula tanquā vnione, vt *homo est animal*. ¶ In propositione intellectus quatuor distinguit, videlicet formam, materiam, quantitatem, & qualitatem. Forma propositionis est vnio illa prædicati, & subiecti secundùm affirmationem, & negationem. Materia est habitudo prædicati, & subiecti antecedens ipsam vnionem. Et hæc habitudo est triplex: alia naturalis, quando scilicet prædicatum est de essentia subiecti; vel est eius passio: alia contingens, quando scilicet prædicatum est accidens commune respectu subiecti: & alia remota, quando scilicet prædicatū repugnat subiecto. Quantitas est illa magnitudo secundùm quam propositio dicitur vniuersalis, vel particularis Et tandem qualitas propositionis est illa, secundùm quam dicitur vera vel falsa.

2. Propositio ratione formæ diuiditur in affirmatiuam, & negatiuam.

Pro-

Propositio affirmatiua est, quæ iungit prædicatum cũ subiecto, & correspondet iudicio intellectus prout appellatur compositio: negatiua verò est, quæ prædicatum à subiecto remouet, & correspondet iudicio intellectus prout appellatur diuisio.

3. Ratione materiæ diuiditur in necessariam, contingentem, & impossibilem. Necessaria est, quæ enunciat rem, quæ aliter se habere non potest. Contingens enunciat rem, quæ aliter se habere potest. Et impossibilis enunciat rem, quæ sic se habere non potest. Quo fit, vt non sint idem, propositionem esse in materia naturali, & esse necessariam; Siquidem hæc, *homo non est animal*, est in materia naturali, & tamen est impossibilis. Similiter nõ sunt idem, propositionem esse in materia remota, & esse impossibilem; nam hæc, *homo non est equus*, est in materia remota, & tamen est necessaria. Quod vt benè percipiatur, obseruanda est sequens regula, quòd scilicet in materia naturali omnis propositio affirmatiua est necessaria; negatiua verò impossibilis. In materia autem remota omnis propositio negatiua est necessaria, & affirmatiua impossibilis. In materia contingenti tam affirmatiua, quàm negatiua semper manent contingentes.

4. Ratione quantitatis diuiditur in vniuersalem, indefinitam, particularem, & singularem. Vniuersalis est, cuius subiectum est terminus communis signo vniuersali affectus, vt *omnis homo est animal*. Indefinita est, cuius subiectum est terminus communis nullo signo affectus, quæ si fuerit in materia naturali, & remota, æquiualet vniuersali, vt *homo est animal, homo non est lapis*. Si verò fuerit in materia contingenti, æquiualet particulari, vt *homo est albus*. Particularis est, cuius subiectum est terminus communis signo particulari affectus, vt *aliquis homo est niger*. Et tandem singularis est, cuius subiectum est terminus singularis, siue sit determinatus, vt *Petrus*, siue demonstratiuus, vt *hic homo*, siue ex suppositione, vt *filius Mariæ Virginis*. Hinc fit, ad quantitatem cognoscendam respiciendum esse subiectum, non prædicatum.

5. Diuiditur tandem propositio ratione qualitatis in veram, & falsam. Propositio vera est, quæ dicit rem sicuti in se est; falsa verò, quæ rem aliter ac est in se enunciat.

6. Tres sunt propietates propositionis, videlicet oppositio, æquipollentia, & conuersio. Oppositio propositionis vt ex Aristotele 1. perihermen. cap. 4 colligitur, *est repugnantia inter propositionem affirmatiuam, & negatiuam eiusdem prædicati, & subiecti*. Vnde duo sunt necessaria ad oppositionem: *primum*, quòd copula principalis in vna sit affirmata, & in altera negata; *Secundum*, quòd in vtraque maneant idem prædicatũ & subiectum in nomine, in re significata, in integritate, in tempore, & in loco: licèt aliquando signa afficientia subiectum mutentur, vt ex dicendis patebit.

7. Oppositio sic explicata est triplex, videlicet contradictoria, contraria, & subcontraria. Oppositio contradictoria inuenitur, quando vna propositio est vniuersalis, & alia particularis: contraria autem, quando ambæ sunt vniuersales: subcontraria verò, quando ambæ sunt particulares: in quibus omnibus propo-

stionibus altera propositio debet esse affirmatiua, altera negatiua; hoc enim est de ratione oppositionis. Vnde quia oppositio subalterna versatur inter propositiones, quarum vna est vniuersalis, & altera particularis; ambæ tamen affirmatiuæ, vel negatiuæ, propriè non est oppositio.

8. Noto pro oppositione contradictoria, quòd quando subiectum est terminus communis, & supponit realiter, seu personaliter, requiritur vt vna propositio sit vniuersalis, & altera particularis; vt v. g. *Omnis homo est risibilis, aliquis homo non est risibilis*. Quando verò subiectum est terminus singularis, aut communis supponens copulatiuè, tunc in vtraque debet inuariatum manere, nulla scilicet mutata quantitate: vt v. g. *Petrus currit, Petrus non currit*; *Omnes Apostoli sunt duodecim, omnes Apostoli non sunt duodecim*. Si enim mutaretur quantitas, non essent contradictoriæ, vt si dicas: *omnes Apostoli sunt duodecim, aliqui Apostoli non sunt duodecim*. Ratio huius notandi est, quia cum contradictio sit maxima oppositio teste Aristotele 10. met. c. 7. ac proinde nullum possit habere medium; consequens est, vt sit totalis remotio affirmationis per negationem. Quare quia vniuersalis affirmatiua totaliter remouetur per negatiuam particularem, sicut negatiua vniuersalis per particularem affirmatiuam, quando subiectum est terminus communis supponens realiter, seu personaliter, ideo in tali casu contradictio fit mutata quantitate. Et quia quando subiectum est terminus singularis, vel communis supponens copulatiuè; tunc si mutaretur quantitas propositionis, affirmatio non totaliter remoueretur per negationem vt patet in exemplo adducto: ideo vt inter similes propositiones maneat contradictio, eadem manere debet quantitas.

9. Propositiones contradictoriæ in nulla materia possunt esse simul veræ, aut simul falsæ: quia sicut impossibile est, idem simul esse, & non esse; ita impossibile est, vt idem simul affirmetur vel negetur de eodẽ; quod fit per contradictionem. Contrariæ verò in materia contingenti possunt esse simul falsæ, vt patet in his propositionibus: *omnis homo est albus, nullus homo est albus*, quas constat esse falsas. Et subcontrariæ in eadem materia contingenti possunt esse simul veræ, vt sunt sequentes: *aliquis homo est albus, aliquis homo non est albus*.

10. Secunda propietas propositionum est *Æquipollentia*, quæ idem est, ac æquiualentia: & contingit, quando duarum propositionum verbis differentium eadem est vis, & sensus. In præsenti solùm agimus de æquipollentia, quę conuenit propositionibus ratione signorum: & est inuenta ad resoluendas propositiones obscuras in clariores. Pro quo tria præcepta obseruanda sunt. Primum est, vt in propositionibus cõtradictorijs pręponatur negatio subiecto vni earum, v. g. *omnis homo est animal, aliquis homo non est animal*: istę duę propositiones contradictorię redduntur ęquipollentes, si primę vel secundę negationem pręponas, dicendo: *non omnis homo est animal*, quę idem valet, ac si dicas, *aliquis homo non est animal*. ¶ Secundum est, vt in propositionibus contrarijs negatio postponatur subiecto

iecto vni earum, v. g. *omnis homo est albus, nullus homo est albus*; redduntur *æquipollentes* si in prima, vel in secunda ponatur negatio post subiectum, dicendo: *omnis homo non est albus*, quæ idem valet, ac si dicas, *nullus homo est albus*. ¶ Tertium tādem est, vt in propositionibus subalternis apponantur duę negationes, vna ante subiectum, & alia post subiectum. Vt v. g. *omnis homo est risibilis, aliquis homo est risibilis*; istę duæ propositiones redduntur æquipollentes si in prima, vel in secunda ponas duas negationes, vnam ante subiectum, & aliam post subiectum, dicendo: *non omnis homo non est risibilis*, quæ eandem vim habet, ac si dicas, *aliquis homo est risibilis*. Omnia ista præcepta in sequenti carmine comprehenduntur.

Præ, contradic: post, contra: præ, postque, sub alter.

11. Conuersio, vltima propositionum propietas, definitur quòd sit, *trasmutatio vnius extremi totalis in alterum extremum totale*, scilicet subiecti in prædicatum, & è contra; vt si dicas: *nullus homo est lapis, nullus lapis est homo*. Estque duplex, alia simplex, & alia per accidens. Conuersio simplex est transmutatio extremorum propositionis, manente eadem quantitate, & qualitate (per qualitatem intellige tum veritatem, & falsitatem, tum affirmationem, & negationem) quomodo conuertuntur vniuersalis negatiua, & particularis affirmatiua; v. g. *nullus homo est equus, nullus equus est homo. Aliquis homo est animal, aliquod animal est homo*. Conuersio per accidens est transmutatio extremorum propositionis mutata quantitate, non verò qualitate; quomodo conuertuntur vniuersalis negatiua, & vniuersalis affirmatiua, v. g. *omnis homo est animal, aliquod animal est homo; nullus homo est lapis; aliquis lapis non est homo*. Qui modi conuersionum significantur à dialecticis in primo ex duobus sequentibus carminibus.

Simpliciter, FECI: conuertitur EVA per acci.
ASTO per contra, sic fit conuersio tota.

Sensus est, conuersione simplici cōuerti vniuersalem negatiuam, & particularem affirmatiuam, quæ significantur per duas literas vocales E & I, contentas in illa dictione FECI, Conuersione verò per accidens conuerti vniuersalem negatiuam, & vniuersalem affirmatiuam significatas per vocales E & A illius dictionis EVA, quarū literarum significatiōnem declarant sequentes versus.

Asserit A, negat E: sunt vniuersaliter ambo.
Asserit I, negat O: sunt particulariter ambo.

12. Dices: istæ conuersiones sunt falsæ, *Petrus videt Paulum, Paulus videt Petrum. Petrus est in Domo, Domus est in Petro. Senex fuit puer, Puer fuit senex*. Respondeo ita esse, quia prædictæ non sunt veræ conuersiones, cum in eis non sit vera transmutatio prædicati in subiectū, & subiecti in prædicatum. Quod si fit vera transmutatio, statim veræ redduntur, vt si dicas: *Petrus videt Paulum, videns Paulum est Petrus. Petrus est in Domo, existens in Domo est Petrus. Senex fuit puer, qui fuit puer est senex*.

DI.

DISPVTATIO III.

De argumentatione, & eius proprietatibus.

1. ARgumentatio alia est materialis, alia formalis. Per argumentationem formalem intelligimus eam, in qua consequens rectè sequitur ex antecedenti. Per materialem verò illam, in qua licèt antecedens, & consequens sint vera, consequentia tamen est mala, quia vnũ non infertur ex alio; vt *Petrus est animal, ergo est rationalis*: quamuis enim verum sit, Petrum esse animal, & esse rationalem; hoc tamen non sequitur ex illo. Et sic sola argumẽtatio formalis est propriè, & simpliciter argumentatio.

2. Duæ sunt species argumentationis, nempe syllogismus, & inductio, à quibus Enthymema, & exemplum solùm distinguũtur penes perfectum, & imperfectum intra eandem speciem. Quia eadem dispositio præmissarum, quæ inuenitur in syllogismo, inuenitur in enthymemate; & eadem dispositio quæ inuenitur in inductione, inuenitur in exemplo. Tota enim ars syllogistica innititur illi principio: *quæcumque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*: ergo repugnat, extremitates vniri inter se in cõclusione, nisi prius in præmissis vniantur cum medio, ad quod necessariæ sunt duæ propositiones ex parte antecedentis, vt de se constat: ergo quando altera breuitatis gratia non exprimitur, vt fit in enthymemate, re vera subintelligitur: & consequenter in re eadem est dispositio syllogismi, & enthymematis. Similiter inductio ex pluribus particularibus procedit ad vniuersale; à qua perfectione deficit exemplum; quod ex debilitate antecedentis singularis solùm colligit aliud singulare: cum tamen si adderentur alia, iam colligeret vniuersale, fieretque perfecta inductio.

3. De inductione nihil dicendum occurrit. Syllogismus verò est argumentatio, in qua concluditur vnio extremitatum inter se ex vi vnionis factæ cum medio in præmissis. Eius materia est duplex, alia proxima, scilicet propositiones, ex quibus immediatè componitur; & alia remota, nempe termini ipsi immediatè componentes propositiones, mediatè verò syllogismum. Hi termini in quolibet syllogismo sunt tres, ex quorum combinatione formantur tres propositiones, quæ necessariò reperiuntur in vnoquoque syllogismo; & consequenter quilibet terminus bis repetitur, habetque suum peculiare nomen, nam ille, qui bis repetitur in præmissis, appellatur *medium*: ex alijs verò duobus ille, qui iungitur cum medio in maiori, vocatur *maior extremitas*: qui verò in minori, dicitur *minor extremitas*. Quæ omnia patent in hoc syllogismo: *Omnis homo est animal; Petrus est homo; ergo Petrus est animal*, vbi ipsæ propositiones sunt materia proxima: tres illi termini, *homo*, *animal*, *Petrus*, materia remota ex quibus *homo* est medium, quia bis repetitur in præmissis: *animal* est maior extremitas, quia iungitur in maiori cum homine: & tandem *Petrus* est minor extremitas; quia iungitur in minori cum eodem homine.

4. Forma verò syllogismi est illud artificium, seu dispositio propositionum; quæ etiam est duplex, secun-

cundùm quod correſpondet duplici materiæ iam dictæ: vna correſpondet terminis, & appellatur figura ſyllogiſmi, quæ eſt quædam diſpoſitio terminorum ſecundùm ſubiectionē, vel prædicationem. Et eſt triplex, *prima* quando medium in maiori ſubijcitur, & in minori prædicatur. *Secunda* quando in vtraque præmiſſa prædicatur. Et *tertia* quando in vtraque ſubijcitur. Quæ omnes continentur in iſto verſu.

Sub, præ, prima: ſecunda, bis præ: tertia, bis ſub.

5. ALTERA ſyllogiſmi forma correſpondet propoſitionibus, & appellatur modus. Et eſt quędam diſpoſitio propoſitionum ſecundùm affirmationem vel negationem, vniuerſalitatem vel particularitatem: ac proinde quadraginta, & octo modi formari poſſunt. Nam in qualibet figura vniuerſalitas, aut particularitas, poſſunt quadrupliciter combinari in præmiſſis: Primò ſi vtraque ſit vniuerſalis: Secundò, ſi vtraque ſit particularis: Tertiò, ſi maior ſit vniuerſalis, & minor particularis: & Quartò, ſi maior ſit particularis, & minor vniuerſalis. Vnaquæ autem harum combinationum poteſt adhuc quadrupliciter combinari per affirmationem, & negationem, vt conſideranti conſtat: quatuor verò per quatuor multiplicata reddunt ſexdecim: ergo in qualibet figura poſſibiles erunt decem, & ſex combinationes præmiſſarum, ſeu modi: ſi autem ſexdecim per tria, qui eſt numerus figurarum, multiplicemus, inueniemus quadraginta, & octo: ergo 48. in tribus figuris ſunt modi, quas formare poſſumus.

6. Ex quibus aliqui ſunt vtiles, id eſt, bonæ conſequentiæ; alij verò inutiles, id eſt, malæ conſequentiæ. Ex vtilibus quidam concludunt directè, quidam indirectè. Illi concludunt directè, quando in concluſione maior extremitas prædicatur de minori; illi verò concludunt indirectè, quādo è cōtra minor extremitas in cōcluſione prædicatur de maiori.

7. Omnes modi vtiles ſunt decem, & nouem, qui in his verſibus continentur.

Barbara, Celarem, Darij, Ferio, Baralipton
Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Frieſeſomorum.
Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Barocco, Darapti.
Felapton, Diſamis, Datiſi, Bocardo, Feriſon.

Primi nouem, qui in duobus prioribus carminibus continentur, pertinent ad primam figuram; ex quibus quatuor priores concludunt directè, alij verò quinque indirectè. Quatuor ſequentes, qui continentur in tertio verſu, ſcilicet *Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Barocco*; pertinent ad ſecundam figuram. Reliqui verò ſex, ſcilicet *Darapti*, & ſequentes, pertinent ad tertiam.

8. In vnoquoque autem modo inueniuntur tres ſaltem vocales, quę correſpondent tribus propoſitionibus ſyllogiſmi: prima maiori, ſecunda minori, & tertia concluſioni; & denotant, propoſitiones tales eſſe, quales per ipſas vocales deſignātur. Et ſi aliquando in his modis plures ſyllabę inueniuntur, trium tantùm priorum habenda eſt ratio; nam alię propter carminis metrū additæ sūt.

9. Ex his 19. modis, quatuor priores primæ figuræ appellantur

perfecti, quia sunt in digniori figura, & concludunt directè. Alij verò quindecim dicuntur imperfecti, vel quia licèt sint in digniori figura, non tamen concludunt directè, vt sunt *Baralipton*, *Celantes*, *Dabitis*, *Fapesmo*, *Frisesomorum*: vel quia quamuis concludant directè, non tamen sunt in figura digniori, vt sunt alij remanentes.

10. Passiones syllogismi sunt probatio, & reductio. Probatio nihil est aliud, quàm probare consequentiã in quatuor prioribus modis concludentem per illa duo principia *dici de omni*, *& dici de nullo*, quibus tota ars syllogistica innititur.

11. Vt autem percipiatur hoc, sciendum est, omnes propositiones reduci ad quatuor capita, nam vel sunt vniuersales affirmatiuę, vel vniuersales negatiuæ, vel particulares affirmatiuæ, vel particulares negatiuæ: (sub particularibus enim comprehendimus singulares) & hæc quatuor genera propositionum concluduntur perfectè in quatuor primis modis: nam vniuersalis affirmatiua concluditur in *Barbara*: vniuersalis negatiua in *Celarem*: particularis seu singularis affirmatiua in *Darÿ*. & particularis seu singularis negatiua in *Ferio*. Quę consequentię sunt per se ipsas manifestę, & euidenter bonę: si tamen ab aliquo negentur, probãtur per prędicta duo principia: nam duo modi affirmatiui, nempe *Barbara*, & *Darÿ*, probantur per *Dici de omni*; Duo verò negatiui, scilicet *Celarem*, & *Ferio* per *dici de nullo*.

12. Si quis ergo negauerit consequentiam huius argumenti in *Barbara*: Omne animal est sensibile; omnis homo est animal; ergo omnis homo est sensibilis. Probatur per *dici de omni* sic: Quidquid vniuersaliter affirmatur de subiecto. affirmatur etiam de omni contento sub illo: sed esse sensibile affirmatur vniuersaliter de animali in maiori, cùm ipsa sit vniuersalis affirmatiua: ergo etiam debet affirmari de omni contento sub animali; At homo cõtinetur sub illo in minori, cùm homo sit subiectum, & animal prædicatum: ergo sensibile debet affirmari de homine in conclusione. Ex quo patet, quomodo per idem principium probetur consequentia facta in *Darij*, siquidem minor, & consequentia istius modi sunt particulares, contentæ sub vniuersalibus, & maior vniuersalis.

13. Eodem modo probantur per *dici de nullo* consequentiæ factę in duobus alijs modis negatiuis. Nàm si quis neget hanc consequentiam in *celarem*; Nullum animal est lapis; omnis homo est animal; ergo nullus homo est lapis. Probatur per *dici de nullo* sic: Quidquid vniuersaliter negatur de subiecto, negatur etiam de omni contento sub illo: sed lapis negatur de animali in maiori, cum sit vniuersalis negatiua: ergo debet negari de omni contento sub animali; At homo in minori cõtinetur sub animali: ergo de illo debet in conclusione negari lapis. Ex eodem principio probatur etiam consequentia in *Ferio*; cùm minor, & conclusio sint particulares contentæ sub vniuersalibus, & maior vniuersalis.

14. Reductio, per quam modi imperfecti ad quatuor perfectos reducuntur, est duplex: alia dicitur ostensiua, & tunc est, quando cõuertit ipsas propositiones syllogismi imperfecti, easque si opus fuerit tran-

transmutando; & ideò dicitur reductio ostensiua, quia in eisdem propositionibus syllogismi imperfecti clariori, & perfectiori forma dispositis, ostenditur vis & necessitas cõsequentiæ, sine eo, quòd aliqua propositio de foris adducatur. Alia dicitur reductio per impossibile, quæ sic appellatur, quia reducit aduersarium ad aliquod impossibile concedendũ. Et tunc fit, si cõtrarius cõcessa maiori & minori syllogismi imperfecti, negat consequentiam, inferatur propositio contradictoria consequentiæ negatæ, ex qua, & ex altera præmissarum iam concessa formatur syllogismus perfectus concludens propositionem contradictoriã, vel contrariam alterius præmissæ concessæ. Et sic cogitur concedere duas contradictorias simul veras.

De arte inueniendi medium.

15. VT materia hec comprehendatur, considerare oportet, quis terminus dicatur *antecedens*, quis *consequens*, & quis *extraneus*, seu *disparatus*. Terminus ergo *consequens* dicitur ille, qui ex altero infertur: cuiusmodi sunt omnia prędicata superiora respectu inferiorum; benè enim valet: *est homo, ergo est animal*. Terminus *antecedens* est ille, qui alterum infert, & est huiusmodi sunt omnia prædicata inferiora respectu superiorum, vt patet in exemplo allato. Sicut enim *animal* est terminus *consequens* respectu *hominis*, quia infertur ex illo; ita *homo* est terminus *antecedens* respectu *animalis*, quia infert illud. Termini verò conuertibiles, vt *homo*, *rationale*, *risibile*, & similes, simul sunt antecedẽtes, & consequentes, quia se inuicem inferunt, & inferuntur. Tandèm terminus *extraneus seu repugnans* est, qui non potest alteri inesse.

16. His positis. Prima regula est Ad concludendam vniuersalem affirmatiuam sumendus est pro medio terminus, qui sit consequens respectu subiecti talis propositionis, & antecedens respectu prædicati. Secunda regula: Ad inferendam vniuersalem negatiuam in *celerem*, & *cesare*, sumendus est pro medio terminus consequens ad subiectum, & repugnans prædicato. Si verò syllogismus conficiendus sit in *camestres*, debet sumi pro medio terminus repugnans subiecto, & consequens ad prædicatum. Tertia regula: Ad inferendam propositionem particularem affirmatiuam in prima figura, sumendus est pro medio terminus consequens ad subiectum, & antecedens ad prædicatum. In tertia verò figura, medium debet esse terminus antecedens tàm respectu subiecti, quàm respectu prædicati. Quarta tandèm regula est pro particulari negatiua, quæ si concluditur in prima figura, medium debet esse consequens ad subiectum, & extraneum à prędicato. Idem obseruandum est si syllogismus fit in *Ferino*. Si verò fit in *Barocco*, mediũ debet esse extraneum à subiecto, & consequens ad prędicatum. Si tandem fit in tertia figura, medium erit terminus antecedens ad subiectum, & extraneus à prędicato. Doctissimi pariter ac Religiosissimi Patres Complutẽses Discalceati lib. 3. summul. cap. vlt. reddunt rationem harum regularum, apud quos videri potest. Et hęc dicta sufficiant pro hac materia.

DISPVTATIONES
IN ARISTOTELIS LOGICAM

PROOEMIVM.



MNIS ars aliquem naturæ defectum corrigere, & emendare nititur; quod ex eo patet, quoniam qui perfectiorem naturam habent, artium præsidijs minùs indigere solent. Inter omnes autem naturæ defectus magis perniciosus est error, qui in inuestigatione veritatis reperitur, siquidem nobiliorem hominis partem inuadit. Et ad hanc corripiẽdum inuenta est Logica, quæ totam doctrinam differendi tradit: docet enim definire, diuidere, discurrere, aliaque multa, quibus si quis instructus fuerit, à cognitione veritatis aberrare minimè poterit. Quarè omnibus necessarium visum est, vt ante alias scientias primo loco addiscatur.

QVÆSTIONES PROOEMIALES LOGICÆ.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum Logica sit Scientia?

1. CONclusio est affirmatiua, quam docet S. Th. 4. met. lect. 4. & ferè omnes Phylosophi. Probatur ratione: Nomine scientię hic venit habitus inclinans in cognitionem certam, & euidentem rei per causam: atqui Logica est habitus inclinans in huiusmodi cognitiones: ergo est verè, & propriè scientia. Probatur minor; Logicus cognoscit, syllogismum demonstratiuum parere scientiam, eo quia procedit ex necessarijs, quæ aliter se habere non possunt: Dialecticũ verò parere opinionem, eo quia procedit tantùm ex probabilibus, quæ aliter se habere possunt: Et sophisticum parere errorem, eo quia procedit ex apparenter solùm veris, in se tamen falsis: atqui hę cognitiones, quæ habentur ab habitu Logicæ, sunt certæ, euidentes, & rei per causam: ergo.

2. Ob. 1. Scientia verè, & propriè dicta debet de suo obiecto aliquas

quas passiones demonstrare: atqui nulla videtur posse assignari passio, quæ de suo obiecto demonstretur à Logica: ergo Logica non est verè, & propriè scientia. Nèc valet si dicas, quòd de vniuersali demonstretur prędicabilitas, quæ est passio illius. Nàm contra est: quia prædicabilitas non est passio obiecti in communi Logicæ; scientia autem de obiecto in communi habet demóstrare proprias passiones.

3. Respondetur, quòd Logica dicitur scientia, solùm quia procedit modo proprio scientiarum, scilicèt demonstratiuè, & hac sola ratione vtitur S. Thom. loc. cit. ad probandum eam esse scientiam. Vtrum autèm eius obiectum in cōmuni habeat proprias passiones de ipso demonstrabiles; & vtrum tales passiones de illo à Logica demonstrentur, nec ne? est alia quæstio. Super quā est duplex opinio; Prima asserit, esse ostensiuum veritatis, seu directiuum operationum intellectus, esse propriam passionem entis rationis logici; & hanc demonstrari à logica, conuenire suo obiecto formali: Secunda verò opinio negat, quia esse ostensiuum veritatis, seu directiuum operationum intellectus, non est propria passio, sed quidditas, & essentia ipsius entis rationis pro vt constituitur in ratione obiecti formalis logicæ. Vtraq; sententia est probabilis, & videri potest Magister Ortiz in præsenti tract. 1. confer. 3. vbi latè hanc difficultatem discutit.

4. Ob. 2. Logica est ars benè definiendi, diuidendi, & argumentandi: atqui ars, & scientia differunt essentialiter: ergo logica non est scientia. ¶ Respondetur, quòd, quanquàm logica sit ars, quia docet cōstruere definitiones, syllogismos, &c. nihilominùs est vera scientia. Sicut Mathematicæ sunt veræ scientiæ, vt Geometria, & Arithmetica & tamèn numerantur inter septem artes, quia docent metiri, & numerare, vt refert. 5. Th. opusc. 70. q. 5. art. 1. & 1. 2. q. 57 art. 3. ad 3. opponuntur autē scientiæ artes mechanicæ, quia respiciunt opera seruilia; non verò artes liberales, quæ respiciunt operationes animi.

5. Ob. 3. Logica agit de entibus rationis (versatur enim circa genus, speciem, & alia huiusmodi, quæ solùm habent esse per operationem intellectus) atqui ens rationis non est ens simpliciter, sed secundùm quid: ergo logica non est scientia simpliciter, sed secundùm quid. ¶ Resp. quòd ad hoc vt aliqua sit scientia, non requiritur, quòd obiectum eius sit simpliciter ens, sed satis est, quòd sit de re necessaria, & sub ratione vniuersali: tàm autem necessaria est quæcumque propositio logicalis, v. g. quòd demonstratio generet scientiam, quàm quòd homo sit risibilis, & adeò vniuersalis. Vndè quanquam ens rationis non sit simpliciter ens, de illo est simpliciter scientia.

QVÆSTIO SECVNDA.

An Logica sit speculatiua, vel practica?

7. SVppono ex communi sententiam, Logicam, eo quia est habitus ordinis inferioris, non posse simul esse speculatiuam, & practicam; ad hoc enim requiritur maxima perfectio, & eminentia in scien-



ſcientia, ratione cuius æquiualere valeat duabus rationibus inter ſe oppoſitis. Qua perfectione, & eminentia carent ſcientiæ ordinis inferioris, & eam tantùm habent ſcientiæ ordinis ſuperioris, vt eſt ſacra Theologia. Quarè præſens difficultas ſolùm eſt, quænam ex his ſimpliciter ſit Logica, ſpeculatiua, an practica?

7. Et reſpondeo eſſe ſimpliciter ſpeculatiuam. Ita Thomiſtæ omnes, & Scotiſtæ contra Neutericos. Probatur ratione: quia ſcientia ſpeculatiua illa dicitur, cuius finis eſt ſpeculatio proprij obiecti; practica verò cuius finis eſt opus: atqui finis Logicæ non eſt componere ſyllogiſmum, aut quodlibet aliud inſtrumentum, ſed naturam eius, & proprietates quærere, atque ſpeculari; nullus enim dicitur, acquiſiſſe Logicam ex eo, quòd ſyllogiſmos efficiat, ſed quia naturam eius cognoſcit per demonſtrationem: ergo nõ eſt ſcientia practica, ſed ſpeculatiua. ¶ Confirmatur, ideò in Mathematicis (quæ ſcientiæ ſpeculatiuæ ſunt) conſtructio alicuius operis (puta trianguli, ſphere, aut aſtrolabij) non extrahit illas à ratione ſcientię ſpeculatiuę, quia talis operis conſtructio ordinatur ad cognitionem veritatis; neque per illam tales ſcientię intendunt ipſum opus factum, ſed veritatem: atqui ſimiliter Logica conficit ſyllogiſmos nõ vt operetur, ſed vt rectè cognoſcat; neque in tali opere efficiendo intendit opus, ſed veritatem: ergo conſtructio talis operis non extrahit illam à ratione ſcientiæ ſpeculatiuę.

8 Ob. 1. ex Ariſtotele 6. met c. 1. vbi diuidens ſcientiam ſpeculatiuam in Phyſicam, Mathematicam, & Metaphiſicam, nullam Logicę mentionem facit: ergo ex mente Ariſtotelis Logica non eſt ſcientia ſpeculatiua. ¶ Reſp. cùm D. Th. opuſc. 70. q. 5. art. 1. ad 2, Ariſtotelem in illa diuiſione ſolùm numeraſſe partes principales ſcientię ſpeculatiuę: & ideò non meminiſſe logicę, non quia ipſa non ſit vera ſcientia ſpeculatiua ſicut illę, ſed quia eſt miniſtra earum.

9. Ob. 2. Scientię ſpeculatiuę non quęruntur propter aliud, ſed propter ſe; quia in contemplatione proprij obiecti ſiſtunt: atqui Logica, cum ſit miniſtra, quęritur propter alias ſcientias: ergo logica non eſt ſcientia ſpeculatiua. ¶ Reſpondetur non eſſe contra rationem ſcientiæ ſpeculatiuæ, quòd quæratur propter alias ſcientias, ſed quòd ordinetur ad opus; logica autem nõ aliter inſeruit alijs ſcientijs, quàm contemplando naturam, & paſſiones definitionis, ſyllogiſmi, & aliorum ſciendi inſtrumentorum, & doctrinam de illis tradendo, conformiter ad quam alię ſcientiæ ea efficiunt in propria materia: & ſic optimè logica poteſt eſſe ſpeculatiua, & ſimul inſeruire alijs ſcientijs.

10 Ob 3. ſcientia, quę habet pro obiecto aliquid operabile, & procedit modo operabili, eſt practica, nõ ſpeculatiua: atqui logica eſt huiuſmodi: ergo non eſt ſcientia ſpeculatiua, ſed practica Probatur minor, logica verſatur circa definitiones, ſyllogiſmos, & ſimiles intentiones, quæ ſunt à nobis operabiles; procedit modo compoſitiuo, introducẽdo formam ſyllogiſmi, aut definitionis in materiam: ergo habet pro obiecto aliquod operabile, & procedit modo operabili. ¶ Reſpondetur

quòd



quòd vt aliqua scientia sit practica, non sufficit habere pro obiecto aliquid operabile, sed etiam debet tendere in illud practico, & non speculatiuo modo; vnde si aliquis consideraret, qualiter fieri possit Domus, & in tali consideratione sisteret, ea consideratio esset speculatiua, & nō practica; licèt res, quam haberet pro obiecto, esset operabilis. Logica autem tendit in opus intra intellectum, & consequenter speculatiuo, & non practico modo. Nec refert, quòd logica procedat modo compositiuo, qui est proprius scientiarum practicarum, nam quando compositio, seu introductio formæ in materiam non exit extra intellectum, tota ordinatur ad cognitionem veritatis.

QVÆSTIO TERTIA

Quodnam sit obiectum Logicæ?

11. OBiectum dicitur illud, quod potentiæ, vel habitui obijcitur cognoscendum, estque duplex materiale, & formale. Obiectum materiale est quod non ratione sui, sed ratione obiecti formalis à potētia cognoscitur: formale verò quod ratione sui, & non ratione alterius hoc habet vt verb. gr. corpus dicitur obiectum materiale visus, quia ratione coloris attingitur à potentia visiua: & color obiectum formale, quia ratione sui à dicta potentia perspicitur.

12. His positis; Circa obiectum formale logicæ est varietas opinionum: Nam aliqui volunt, esse operationes intellectus, quatenus dirigibiles sunt. Ita Suarez, Fonseca, Coninbricenses, Hurtado, Auersa, & alij. Quę opinio videtur esse S. Thomæ, nam initio poster. dicit: *Et hęc ars est logica, quæ non solùm rationalis est ex hoc, quòd est secundùm rationem, quod est omnibus artibus commune; sed etiam ex hoc, quòd est circa ipsum actum rationis, sicut circa propriam materiam*. Ratio autem fundamentalis huius opinionis est: quia id, de quo scientia agit, est obiectum talis scientię: atqui logica agit de operationibus intellectus, seu de earum dirigibilitate: ergo operationes intellectus quatenus dirigibiles, sunt obiectum logicæ. ¶ Confirmatur quia omnis habitus intellectualis habet perficere intellectum in ordine ad proprium obiectum: sed logica perficit intellectum, dirigendo eius operationes ergo hę vt dirigibiles, sunt proprium obiectum logicę.

13. Secunda verò opinio docet, non operationes intellectus, neque dirigibilitatem earum, sed ens rationis logicum esse obiectum formale logicę. Quę sententia probabilior est, & communis inter Thomistas; eamque expresse tenet S. Th. 4 met. cap. 12 lect. 4. vbi sic ait: *Ens est duplex: ens scilicet rationis, & ens naturæ. Ens autem rationis dicitur propriè de illis intentionibus, quas ratio adinuenit in rebus consideratis, sicut intentio generis, speciei, & similium, quæ quidem non inueniuntur in rerum natura, sed considerationem rationis consequuntur. Et huiusmodi, scilicet ens rationis, est propriè subiectum logicæ*. Et opusc. 56. colligit logicę ignobilitatem ex eo, quòd eius obiectum sit ens rationis, dicens: *inter omnia subiecta scientiarum debilissimum, & incertissimum est subiectum logicæ: quia vnumquodque quantum habet de entitate, tantum habet de veritate, & certitudine, vt dicit*

dicit Aristoteles 2. met. Nunc autem secundæ intentiones solùm habent esse in anima, & ab anima. Ex quo sequitur, quòd habent debilissimum esse, & sic ad plenum sciri non possunt, nisi per primas intentiones.

14. Probatur ratione: Obiectum formale est illud, quod per se considferatur à sciētia: sed quod per se cōsideratur à logica, est ens rationis logicum, non actus intellectus, neq; eorum dirigibilitas: ergo illud, & non isti sunt obiectum formale logicæ. Maior patet ex ijs, quę diximus in principio huius quęstionis. Minor verò probatur, quia logica ex proprio instituto non agit de actibus intellectus; de his enim agitur in libris de anima; neque de dirigibilitate eorum, sed de instrumentis, medijs quibus diriguntur: ergo hęc, quę sunt entia rationis, & non illi, per se considerantur à logica.

15. Ad fundamentum autem oppositę sententię respondetur; & in primis ad auctoritatem dico, quòd actus intellectus appellantur ibi à D. Th. materia propria logicę seu obiectum, causaliter, quia causant secundas intentiones, quę sunt obiectum logicę, non formaliter, vt benè obseruant Complutenses in pręsenti disp. 1. qu. 2. num. 22. & colligunt ex textu. Ad rationem verò, quòd logica de intellectu, & eius actibus solùm tractat, secundùm quòd sunt principia, & causę, ex quibus secundę intentiones resultant, vt patet quando inquirit, vtrum solus intellectus faciat ens rationis; per quem actum illud fiat; & an vniuersalitas resultet in natura per abstractionem, vel comparationem intellectus; neq; alię quęstiones, nisi his similes mouentur in logica de actibus intellectus. Ex quo non sequitur hos actus esse obiectum logicę. Sicut logica agit etiam de substantia, quantitate, qualitate, & alijs predicamentis, & tamen extra controuersiam est, non pertinere ad obiectum logicę, quia non tractat de illis per se, sed secundùm quòd in eis attenditur subijcibilitas, & prędicabilitas, aut ratio generis aut speciei. Obiectum enim formale ratione sui, & non ratione alterius respici debet à scientia. Ad confirmationem denique dico, quòd logica per se intendit perficere intellectum in ordine ad proprium obiectum; & quia proprium eius obiectum sunt secundę intentiones, quę sunt congrua instrumenta sciendi, inde est, quod etiam perficit illum quo ad suas operationes.

16. Ob. 1. Obiectū formale alicuius scientię est simpliciter scibile: atqui ens rationis non est simpliciter scibile: ergo nō potest esse obiectum formale logicę. Probatur minor ex Aristotele 2. met. vbi dicit, quòd vnumquodque quantum habet de entitate, tantum habet de veritate, ac proindè de scibilitate: ergo cùm ens rationis non sit simpliciter ens, nec erit simpliciter verum, nec simpliciter scibile. ¶ Respond. negando minorem, & ad probationem dico, quòd genus entis, & genus scibilis sunt valdè diuersa. vndè quamuis ratio entis non possit dici simpliciter de ente rationis; tamen ratio scibilis potest illi per se, & simpliciter conuenire. Cuius exemplū cernitur in Mathematicis, & Phylosophia, quarum obiecta, scilicèt quantitas, & substantia corporea, quamuis analogicè conueniant in ratione entis, simpliciter tamen participant rationem scibilis, & sic ipse vni-

vniuocè conueniunt in ratione sciẽtię. Aristoteles autem locutus est de veritate trascendentali, non formali.

17. Ob. 2. Scientia dicit relationem realem ad suum obiectum: relatio autèm realis petit terminum realem; exigit enim vtrumq; extremum in actu: ergo ens rationis non potest esse obiectum alicuius scientię. Respondeo, quòd scientia, quę terminatur ad ens reale, dicit relationem realem: non verò quę habet pro obiecto ens rationis. ¶ Dices: specificatiuum scientiæ debet esse reale, nam distinguit realiter illam ab omnibus alijs scientijs: sed specificatiuum intrinsecum scientię est habitudo ad proprium obiectum: ergo talis habitudo seu ordo debet esse realis, & non rationis. Respõdeo distinguendo minorem; specificatiuum scientię est habitudo, seu ordo *trascendentalis* ad proprium obiectum, concedo: *prædicamentalis*, & nego, ordo autẽ trascendentalis semper est realis, nàm consistit in ipsamet entitate scientię vt connotat aliquod extrinsecum siue existẽs à parte rei, siue non.

18. Quęres primò; quodnam ens rationis sit obiectum logicę? Super hoc quæsito sunt tres sententię. Prima asserit, esse solam demonstrationem; quia demonstratio est finis, in quem logica tendit, ordinatq; cętera, quę in ea tractantur, nequè quiescit, donec demonstrationis naturam explicet: ergo ipsa sola est obiectum eius formale.

19. Secunda verò dicit, esse mõdum sciendi, prout compræhendit definitionem, diuisionem, & argumentationem; quia finis logicę est iuuare intellectum, vt de qualibet re scientiam habere possit: sed his tribus instrumentis sufficienter obtinetur talis finis: ergo solùm illa pertinent ad obiectum adequatum. Probatur minor, quia tria possumus de qualibet re ignorare, scilicèt essentiam, partes èius, & passiones: sed essentiam aperit definitio, partes diuisio, & passiones argumentatio: ergo.

20. Tertia denique docet, omnem secundam intentionem logicalem pertinere ad obiectum formale logicę. Et hęc est omnibus alijs probabilior, quam tenent Sotus, Sanchez, Arauxo, Complutenses, Mailhat, & alij plures. Probatur primò, quia nunquam D. Th. obiectum logicę restrinxit ad solam demonstrationẽ, vel ad modum sciendi, prout comprehendit tantùm definitionem, diuisionem, & argumentationem; sed indistinctè intentiones omnes logicales assignat pro obiecto logicę, vt patet ex locis supra citatis. Secundò, quia si semel admittimus in obiectis partialibus alicuius scientię, quemlibet ordinem vnius ad aliud, excludere illud, quod sic ordinatur, à ratione propria, & immediata obiecti, iam in qualibet scientia obiectum principale esset adęquatum: possemusque dicere, Deum esse obiectum adęquatum Metaphysicę, & hominem Phylosophiæ naturalis: siquidẽ quæ tractantur in Metaphysica, dicunt ordinem ad Deum, qui est primum ens, & quæ in Phylosophia, ad hominem, qui est præcipua substantia materialis: ergo licèt intentio generis v. g. deseruiat definitioni, & intentio prædicati propositioni, & hæc argumentationi, non ideo intentiones istæ debent excludi ab obiecto per se, & immediato logicę.

Et tertiò, quia omnes istæ secundę intentiones sunt scibiles, & alicuius veritatis ostensiuæ, non solùm vt sunt in definitione, diuisione, & argumentatione, sed etiam in seipsis: ergo omnes immediatè contineri debent sub obiecto adæquato logicę. Ad fundamenta oppositarum sententiarum responsio patet ex dictis.

21. Quęres secundò; Quodnam sit obiectum materiale logicę? Respondeo esse res, & voces secundùm suum esse reale. Probatur quia res sunt, quę propriè denominantur genus, subiectum, definitio, &c Rursus plures secundę intentiones logicales fundantur in vocibus, vt sunt significatio, suppositio, appellatio, & similes. Ergo res, & entitas realis vocum, supra quam fundantur prędictæ secundæ intentiones, erunt obiectum materiale logicæ.

22. Quæres tertiò, Vtrum actus intellectus pertineant ad obiectum materiale? Respondeo negatiuè, quia actus intellectus, vt actus intellectus sunt, non recipiunt in se secundas intentiones logicales. neq; denominantur genus, definitio, &c. ergo vt actus intellectus sunt, non pertinent ad obiectum materiale logicæ. Possunt tamen largè appellari obiectum materiale, quia de illis agit logica non ratione sui, sed propter secundas intentiones, quatenus scilicet sunt principia, & causæ illarum.

QVÆSTIO QVARTA

Vtrum logica sit necessaria simpliciter ad acquirendas alias scientias?

23 VT titulus quęstionis percipiatur notandum est primò, necessarium in ordine ad aliquem finem esse duplex, simpliciter scilicet, & secundùm quid, seu ad melius esse. Necessarium simpliciter est illud, sine quo finis nullo modo assequi potest, vt cibus dicitur necessarius ad vitam conseruandam, quia sine cibo vita consistere non potest. Necessarium verò secundùm quid, seu ad melius esse, est, sine quo finis absolutè potest consequi, sed cum illo faciliùs, & commodiùs assequitur; Sicut equus dicitur necessarius ad iter agendum, quia licèt sine equo possit quis iter agere, hoc tamen fit faciliùs, & commodiùs cum equo.

24. Notandum est secundò Scientiam considerari posse in duplici statu, nimirum in statu perfecto, & imperfecto. Scientia in statu perfecto includit seriem omnium vel ferè omnium conclusionum, quæ in ea demonstrantur. In statu verò imperfecto importat cognitionē vnius vel alterius conclusionis tantùm.

25 His positis; Est omnino certum, logicam esse necessariam secūdùm quid, & ad meliùs esse, ad acquirendas alias scientias; illa enim acquisita commodiùs, & faciliùs reliquæ addiscuntur. Difficultas est de necessitate simpliciter. In qua difficultate relictis antiquorum sententijs tres sunt, quæ à modernis scriptoribus communiter amplectuntur. Prima negat, logicam esse necessariam simpliciter ad acquirendas sciētias etiam sub statu perfecto. Quam sententiam docuit Magister Iauellus, vir eruditissimus ex Dominicana Familia, tract. 1. log. cap. 4 & tenent multi Recentiores. Fundamentum huius sententiæ est: quia habitus naturalis non datur ad simpli-

pliciter posse, sed ad faciliùs posse: ergo id, quod potest facilè intellectus consequi cum habitu logicæ, poterit simpliciter cōsequi sine illo. Sed medio tali habitu potest facilè comparare alias scientias sub statu perfecto: ergo etiam sine illo poterit easdem simpliciter acquirere. ¶ Confirmatur experientia; nam multi ex antiquis Philosophis ante Aristotelem habuerunt perfectam sciētiam, & tamen logica tunc non erat illis nota. Et modò multi homines rustici, & idiotæ, qui penitus logicam ignorant, conficiunt plures demonstrationes, & certò assentiuntur veritatibus demonstratis. Si autem logica esset simpliciter necessaria ad acquirendas scientias, hoc accidere non posset.

26. Secunda sententia distinguit, asseritque esse simpliciter necessariā ad acquirendas scientias sub statu perfecto, non autem imperfecto. Ita Masius in præsenti disp. 2. q. 3. Sanchez lib. 1. quęst. 2. Didacus à Iesu disp. 2. qu. 1. Collegium Complutense disp. 1. quæst. 7. & plures alij Thomistæ. Secunda pars huius sententię patet (aiunt) nam in scientijs sunt aliquę conclusiones ita proximè innitentes principijs lumine naturali notis, vt explicatis terminis facilè deducuntur: cum igitur scientia sub statu imperfecto importet tantùm vnam vel alteram conclusionem, hęc sine logica comparari potest. Primam verò partem probant; quia non potest quis perfectè scientiam aliquam comparare, nisi sciat conclusiones omnes resoluere vsque ad prima principia; cognoscatque bonitatem illationum, necessitatem, & conditiones pręmissarum, deceptiones, quę circa eas solent contingere, & alia plura, quę sine logica consequi non possunt: ergo ipsa ad scientias sub statu perfecto acquirendas est simpliciter necessaria.

27. Tertia denique sententia affirmat, logicam esse simpliciter necessariam etiam ad acquirendas scientias sub statu imperfecto. Sic docent inter alios Arauxo 2. met. q. 3. art. 1. Gallego hic contr. 1. & Nauarrettus. Quæ sententia probatur primò auctoritate S.Th. nam opusc. 70. quæst. vlt. art. pr. ad 3. dicit: *Necessitas requirit, vt in addiscendo incipiamus à logica, licèt non sit facilior alijs scientijs, quia aliæ scientiæ ab ipsa dependent.* Deinde probatur ratione; quia scientia etiam in esse imperfecto acquisita est vera scientia, sicut animal imperfectum est verum animal: sed non potest comparari vera scientia sine logica: ergo neque etiam scientia quantumuis imperfecta. Probatur minor; nullus habet veram scientiam alicuius conclusionis, nisi sciat illam resoluere, vsque ad prima principia: sed sine logica nullus scit resoluere conclusiones vsque ad prima principia, cū doctrina ista sit ex difficillioribus, quæ traduntur in logica: ergo sine illa non potest acquiri vera scientia.

28. Vt autem meam proferam sententiam, sciendum præmitto, in logica duo considerari posse, vnum, præcepta, & leges, quas tradit; alterum quòd talia præcepta, & leges sint traditæ scientifico modo à logica. Hoc posito.

29. Dico primò, Non posse intellectum præbere assensum scientificum alicui conclusioni, nisi principia, seu præcepta logicæ præsupponantur cognita. Ita Didacus Or-

tiæ in fummulis tract. 1. confer. 1 & in logica lib. 1. cap. 1. concluf. 2. Probatur ratione: quia fciẽtia adhuc in ftatu imperfecto debet acquiri per demonftrationem factam in propria materia, nam fcientia definitur, *habitus per demonftrationem acquifitus*: Sed demonftratio non poteft fieri, nifi præfupponantur cognita aliqua principia, vel regulæ traditæ ab ipfa logica: ergo logica quo ad fua principia, & regulas eft fimpliciter neceffaria ad acquirendas fcientias in quolibet ftatu. ¶ Confirmatur nam nullus verè fcit, feu habet affenfum fcientificum, nifi rem per caufam cognofcat: at prædicta cognitio haberi non poteft, nifi cognofcatur, difpofitionem præmiffarum effe iuxta regulas ab arte affignatas, vt benè inferatur conclufio, quod totum pertinet ad principia, & regulas traditas in logica: ergo iftis non præcognitis, repugnat dari aliquem affenfum fcientificum.

30. Dico fecundò Non effe fimpliciter neceffarium, quòd talia principia feu præcepta logicæ præfupponantur cognita fcientificè ab habitu logicæ, fed fufficere, quòd cognofcantur lumine naturæ. Hinc conclufionem Magifter Ortiz tract. 1. log conf. 1 num. 303. circa finem, dicit, quòd audiuerit, & didicerit à fapientiffimis Magiftris fuæ Religionis Probatur ratione: quia præcepta ifta continent veritates immediatas: veritates autem immediatæ folo lumine naturæ cognofci poffunt nulla interueniente demonftratione: & logica ipfa non demonftrat omnia præcepta, quæ tradit, fed plura folo lumine naturæ cognofcit ¶ Confirmatur, prima demonftratio facta in ipfa logica, generat fcientiam; & tamen bonitas illius confequentiæ, quæ exercetur in tali demonftratione, non præfupponitur demonftrata ab habitu logicæ, fed nota lumine naturali: ergo quòd principia, feu præcepta logicæ cognofcantur fciẽtificè ab habitu logicæ, vel à lumine naturali, nihil obftat ad affenfum fcientificum alicuius veritatis.

31. Iuxta has duas conclufiones facilè conciliari poffunt allatæ fentẽtiæ, nec earum fundamenta vrgent contra nos. Ad auctoritatem D Th. quam adducit tertia fententia, refpondeo quòd S. Doctor non loquitur de neceffitate fimpliciter, fed fecundùm quid.

QVÆSTIO VLTIMA.

Quomodo Logica influat in actus aliarum fcientiarum? Quis fit eius finis? & in quas partes fit diuidenda?

32. AD primum punctum dico, logicam ad actus aliarum fcientiarum concurrere folùm directiuè. Hæc conclufio patet ex dictis; nam logica eatenus eft neceffaria ad alias fcientias, quatenus præbet regulas, & præcepta, quibus aliæ fcientiæ conformentur in elicientia actiua fuorum actuum: atqui influxus ifte eft folùm directiuus: ergo logica ad actus aliarum fcientiarum folùm directiuè concurrit.

33. Pro decifione verò fecundi puncti fciendum eft, quòd artes funt in duplici genere: Aliæ appellantur ancillæ, quæ fcilicet adminiftrant inftrumentum aliquod alteri arti fuperiori, vt ars frænefactoria, quæ miniftrat frenum milita-

ri. Aliæ appellantur reginæ, quæ scilicet vtuntur instrumẽtis ab ancillis ministratis, vt militaris, quæ vtitur fræno à frænefactoria ministrato. Artes quæ vocantur ancillę, habent duos fines, alterum intra ipsam artem, qui est instrumentum ipsum à se confectum; & alterum extra ipsam, qui est finis ipse artis superioris, & reginæ: nam cùm ancilla intrinsecè respiciat dominam, non solùm habet pro fine opus a se factum; sed finem ipsum, quem regina intendit. Primus appellari potest *finis proximus*, secundus *finis remotus*. At verò artes, quæ appellantur reginæ, cùm nulli inseruiant, vnico tantùm fine gaudent, vt cernere licèt in exemplo allato: militaris enim solùm intendit victoriam: frænefactoria verò, & frænum, & victoriam.

34 His positis: facile est colligere, quis sit finis logicæ; cum enim logica licèt sit scientia speculatiua, tamen est etiam ministra aliarum: inde est, quòd in ea duplex finis sit distinguendus, proximus scilicèt, & remotus. Quorum prior erit cognitio sui obiecti, nempè secundarum intentionum: posterior verò compræhendit fines omnium aliarũ scientiarum. Est autem logica ministra, non huius, aut illius scientiæ in speciali, sed generalis omnĩũ; propter quod appellatur ars artium: & sic intendit vt finem remotum, non finem peculiarem huius, aut illius scientiæ; sed generale aliquid, & commune, in quo omnes conueniant. Quare cùm omnes scientiæ huc tendant, vt perficiant intellectũ, & dirigant ad rectè operandum circa suum obiectum, consequens est, vt finis remotus logicæ sit perficere & dirigere intellectum in suis operationibus, vt in quacumque materia rectè, & sine errore fiant.

35. Circa tandem tertium punctum; illi auctores, qui asserunt, obiectum adæquatum logicæ esse modum sciendi, pro vt tantùm cõprehendit definitionem, diuisionẽ, & argumentationem, rectè logicã cum Boetio diuidunt in rationem definiendi, diuidendi, & argumentandi; quam diuisionem laudat Albertus Magnus tract. 1 in Porphyr. cap. 3. Nos autem, qui latiùs patere diximus obiectum logicę, extendiq; ad alias intentiones logicales, diuidimus logicam in tres partes, iuxtà triplicem operationem intellectus. Quarum *prima* sibi vendicat explicandas secundas intentiones, quæ primæ operationi dirigẽdæ deseruiunt. In *secunda* erit sermo de secundis intentionibus, quibus dirigitur secunda operatio intellectus. Et tandem in *tertia* agemus de secundis intentionibus tertiam operationem dirigentibus.

36 Quæres: quid sit secunda intentio logicalis? Pro resolutione noto, quòd *intentio* in communi sua significatione dicit tendentiam ad aliud. Aliter autem à Philosophis moralibus, & Theologis, & aliter à Dialecticis vsurpatur. Apud illos significat actum voluntatis circa finem; & aliquando etiam ipsum finem: vt cum dicimus, mea intentio in prædicando est salus animarũ. Dialectici verò sumunt intentionẽ, quatenùs sonat attentionem quandam: iuxtà quod solet dici, pluribus intentus minor est ad singula sensus: id est, pluribus attentus. Ideò nomen intentionis tribuunt actibus intellectus, cuius proprium

est

est attendere. Sed quia sępè nomina ipsa actuũ applicari solent obiectis eorum: ideò nomen intentionis non rarò vsurpát Dialectici pro obiectis actuum intellectus: distinctionis tamen gratia actus ipsos appellant intentionẽ formalẽ, obiectũ verò intentionem obiectiuam.

37. Harum vnaquæq; in primã, & secundam diuiditur, ex eo quòd intellectus potest dupliciter versari circa res. Si enim cognoscat res secundùm id, quod habent à parte rei, vt quando cognoscit hominem esse animal, aut equum esse hinnibilẽ: tunc ipse actus cognoscens dicitur prima intentio formalis; res verò cognita prima intentio obiectiua: & nomina sic significantia res, dicuntur nomina primæ intentionis, vt *homo*, *equus*. Si verò intellectus cognoscat res, non secundùm ea, quæ conueniunt illis à parte rei, sed secundùm ea, quæ habent ab operatione eiusdem intellectus, vt quãdo cognoscit animal esse genus, aut hominem esse speciem; tunc ipse actus cognoscens dicitur secunda intentio formalis; res verò cognita secundùm illud esse, quod habet ab intellectu, dicitur secunda intentio obiectiua; & nomina significatiua res secundùm tale esse, dicuntur nomina secundæ intentionis, vt *genus*, & *species*. Quamuis autem hæc ita sint, vsu tamen receptum est, vt prima, & secunda intentio sic absque addito prolatę, pro obiectiuis ferè semper vsurpentur.

38. Ex his patet, quid sit secunda intentio logicalis; formalis enim est actus intellectus; obiectiua verò est ens rationis. Et hęc diuiditur in tria genera, iuxta tres operationes intellectus: nempè in secundas intentiones, quę pręsupponunt apprehensionem, & dirigunt illam: & in eas, quę pręsupponunt, & dirigunt iudicium: & in eas, quę præsupponunt, & dirigunt discursum.

PRIMA PARS LOGICÆ.

De secundis intentionibus, quibus dirigitur prima operatio intellectus.

VNiuersale, prædicabile, genus, & similia, sunt quæ perficiunt, & dirigunt primam operationem intellectus; propter quod de illis in hac prima parte logicæ agimus. Agemus etiam de prædicamentis secundùm quod recipiunt intentiones generis, & speciei. Quia verò de istis & similibus secundis intentionibus, cùm sint determinata species entis rationis, sine aliqua notitia entis rationis in communi perfectam cognitionem comparare non possumus, ideò de illo primam disputationem instituemus.

DISPVTATIO I.

De ente rationis.

1. ENS rationis communiter ab omnibus definitur esse *id, quod solùm habet esse obiectiuè in intellectu*. Pro intelligentia huius definitionis noto, quòd cùm ens rationis dicat habitudinem ad rationem, iuxta diuersas habitudines ad illã, distingui solet multiplex ens rationis. Hæc autem habitudo ad rationem est triplex, scilicèt, effectiua, subiectiua;

&

& obiectiua; & sic triplex erit ens rationis. Aliud quod dicit habitudinem effectiuam ad rationem, vt sũt intellectiones, species expresse, habitus acquisiti, & alia huiusmodi, quę ab intellectu producuntur. Aliud quod dicit habitudinem subiectiuam, vt sunt omnes perfectiones intellectus, siue ab illo fiant, siue aliundè proueniant; quæ rationi inhærent, & in ea subiectantur. Et aliud, quod dicit habitudinem obiectiuam, vt sunt omnia illa entia, quæ obijciuntur intellectui, seu quæ illius actum terminant, & sunt obiectum intellectionis. Ex his autẽ plura illud esse, quod obijcitur, non tantùm habent in intellectu formaliter vt obiectum, sed etiam extra intellectum; alia verò vltra illud esse obiectiuè in intellectu, nihil sunt, ideòq; intellectu de eis non cogitãte, penitùs esse desinunt. Et hæc propriè sunt entia rationis; omnia enim alia sunt entia realia, & à parte rei existunt, vndè entia rationis appellari non possunt, nisi secundũ quid. Ex quo patet, allatam definitionem entis rationis esse optimã, quia benè explicat essentiã diffiniti.

DVBIVM PRIMVM.

An detur ens rationis?

2. CVM inquirimus, an detur ens rationis, non intelligimus secundùm veram existentiam, aliàs repugnantiam in terminis inuolueremus, sed secundùm quid, iuxta capacitatem illius, scilicèt an detur aliquod ens, quod tantùm habet esse obiectiuè in intellectu?

3. Negant Aliqui, sed sine solido fundamento, & facilè vincuntur; nam isti Auctores, aut cognoscunt entia rationis, quæ dicunt non posse existere, aut illa non cognosunt. Si dicunt, illa non cognoscere, reprehendendi sunt, quia audent iudicare de obiecto, quod non valent cognoscere. Si dicunt, illa cognoscere, ergo conficiunt, & dantur entia rationis, quia facere ens rationis, & hoc existere, nihil aliud est, quàm cognoscere ens rationis, & hoc cognitum esse.

4. Dico igitur cum communi sẽtentia, dari ens rationis. Ita Aristoteles 4 met. tex. 13. & 14. & lib. 6. tex. 8 D. Th locis supra citatis, & in 1. dist. 26 q 2. art 1. & 1. part. q. 28. art. 1. vbi Caietanus, & cõmuniter expositores. Probatur primò ratione à priori; quia ens rationis est obiectum scientiæ, scilicèt logicę, vt disp. prec. quęst. 3. ostensum est: ergo est per se scibile: sed scibilitas est specialis quædam intelligibilitas: ergo ens rationis est intelligibile: ergo possibile Patet hęc vltima consequentia, quia ens rationis, nihil aliud est, nisi ens cognitum ab intellectu, à parte rei non existens.

5. Probatur secundò experientia; experimur enim intellectum nostrũ multa concipere, quæ nullum habent, aut habere possunt esse extra ipsum: ergo cùm ens rationis sit id, quod habet tantùm esse obiectiuè in intellectu, possibile est ens rationis, & de facto datur. Probatur antecedens: quia intellectus noster cõcipit chymeram, & alia figmenta, quæ non solùm à parte rei non dãtur, sed impossibilia sunt. Item concipit negationes, & priuationes instar formarum positiuarum afficientium subiecta, vt tenebras ad mo-

modum cuiusdam formæ nigræ, & obscuræ in aere, cęcitatem instar cuiusdam malignæ qualitatis in oculo, cum tamen re ipsa non sint aliquid, sed mera non entia, seu remotiones formarum. Item concipit in Deo relationem ad creaturas, in animali ad species, & alia huiusmodi, quæ à parte rei, & extra ipsum nullatenus reperiuntur. Ergo, &c.

6. Ob. 1. Ens rationis non potest fieri obiectum intellectionis: ergo non est possibile. Consequentia patet ex dictis; & antecedens probatur, ens rationis non potest fieri obiectũ intellectionis, nisi intellectus priùs actuetur specie repræsentatiua ipsius entis rationis: ergo cum hoc sit impossibile, impossibile etiam erit ens rationis fieri obiectum intellectionis. Probatur suppositum consequentiæ; Quælibet species pręsupponere debet obiectum; siquidem ab eo immittitur: ergo species repręsentans ens rationis, pręsupponere debet ipsũ ens rationis: sed ens rationis ante intellectionem pręsupponi non potest: ergo impossibile est, intellectum actuari specie entis rationis, & hoc per talem speciem reddi obiectum intellectionis.

7. Respondetur negando antecedens, & ad probationem dico, quòd dupliciter explicari potest, quomodo intellectus ens rationis intelligat. Primò si dicamus, intellectum ex specie impressa, & expressa entis realis, elicere aliam tertiam speciem impressam repręsentatiuam entis rationis, à qua immediatè procedat cognitio illius. Iuxta quam sententiam dabitur quidem propria species impressa entis rationis, quamuis semper illud repręsentat cum habitudine ad ens reale, & cum dependentia ab specie impressa, & expressa eius, à quibus fuit extracta. Secundò potest id explicari, si dicamus per ipsam speciem impressam entis realis simul cum expressa absque alia inde educta, cognosci ens rationis: quia eadem species impressa, quę primariò repręsentat intellectui ens reale, potest secundariò repręsentare illi ens rationis. Iuxta quam sententiam non datur propria species entis rationis; sed cognitio eius immediatè procedit ab ipsa specie impressa ẽtis realis. Vtraque sententia est probabilis in via D. Th. & soluit argumẽtum propositum; videatur Sanchez lib. 1. logic. q. 19. concl. 9.

8. Ob. 2. Ens rationis est illud ens, quod non habet esse; nec habere potest à parte rei, ac proinde est entitas impossibilis: sed entitas impossibilis non potest concipi vt possibilis: ergo non potest dari ens rationis. Probatur minor, eadem res non potest simul esse, & non esse: ergo implicat quòd res impossibilis concipiatur vt possibilis.

9. Respondetur negando minorem; Arrianus enim dicens: *Pater diuinus non generat filium sibi æqualem* concipit aliquid impossibile; impossibile namque est, quòd diuinus filius non sit ęqualis Patri: Si autem hic hęreticus hunc errorem asserit, illum vtique concipit, ac proinde id, quod est impossibile, concipit vt possibile, & existens. Et ad probationem dico, quòd concipi potest res impossibilis, etiam si formaliter non concipiatur, quòd sit, & quòd non sit: vt si concipiam naturam aliquam compactam ex homine, & leone identificatis, concipio aliquid impossibile; & tamen hic conceptus formaliter non exprimit homi-

hominem, & non hominem, leonē & non leonem: hic enim conceptus formaliter exprimit humanitatē, & rugibilitatem identificatas in eodem subiecto: sed hoc exprimere, non est formaliter exprimere negationē humanitatis, vel rugibilitatis, quia nullum positiuum formaliter est negatio alterius positiui: ergo concipi potest impossibile etiam si non concipiatur, quòd res sit, & non sit.

10. Dices: esto possit concipi humanitas, & rugibilitas absque eo, quòd concipiatur formaliter negatio: tamen non possunt concipi, quin concipiantur vt incompossibiles: sed implicat, quòd eadem res concipiatur esse talis, & incompossibilis ad esse talem: ergo implicat, quòd concipiatur res impossibilis.

11. Respondetur hoc quod est, esse incompossibile, formaliter nihil est aliud, quàm habere negationem possibilitatis ad essendum vnum cū alio: ergo si concedatur, negationē non concipi, neque concipientur illæ entitates, vt formaliter incōpossibiles: ac proinde benè poterit concipi entitas impossibilis vt possibilis.

12. Ob. 3. In intellectu cognoscente chimeram v. g. & est intellectio, qua intellectus intelligit, & est chimera cognita: sed hoc totum est ens reale: ergo omne illud, quod dicitur ens rationis, est ens reale, & sic nullum datur ens rationis. Prob. minor, & de intellectione iam non potest esse dubium, quod realis illa sit; de termino intellectionis, seu qualitate per intellectionem producta, in qua relucet res, quæ cognoscitur, probatur, quia vel hęc identificatur cum intellectione, vt volūt aliqui, & tunc erit ens reale; quia nihil cum ente reali identificari potest, quod reale non sit. Vel iuxta aliorum sententiam est quędā qualitas realiter distincta; quæ verbum mentis dicitur: sed verbum mentis est ens reale; quia est terminus actionis realis, & omnis actio realis respicit terminum realem: ergo, &c.

13. Hoc argumentum assertores oppositę sententię multum magnificant; sed nullius est efficacię, cū falso nitatur fundamento. Supponit enim ens rationis consistere vel in intellectione, vel in verbo ab intellectione producto; quod tamen suppositum verum non est: omnes n. admittentes ens rationis dicunt, non esse neque intellectionem, neque verbum ab intellectione prod. ctū, sed id, quod per tale verbum repręsentatum intelligitur: hoc autem nō est reale, cum nullum aliud esse habeat, nisi illud obiectiuum in intellectu.

14. Ob 4. Ens rationis est illud, quod habet tantum esse obiectiuè in intellectu: sed inintelligibile est, quòd detur aliquid, quod habeat tantum esse obiectiuè in intellectu: ergo inintelligibile est, quòd detur ens rationis. Minor probatur, habere esse obiectiuè in intellectu, est idem formalissimè, ac habere esse in cognitione intellectus: sed habere esse in cognitione intellectus, est formalissime habere esse subiectiuè in intellectu; ergo. Probatur minor, habere esse in cognitione, est subiectari vbi subiectatur ipsa cognitio: sed cognitio habet esse subiectiuè in intellectu: ergo.

15. Respond. cum S. Th. opusc. 48. tract. 2. cap. 1. ens rationis nullibi esse subiectiuè, quia si esset in aliquo, esset accidens, & per consequens ens reale. Tantùm ergo est

obiectiuè in intellectu. Nec propterea est substantia, quia substantia realiter est, atque subsistit, sed est propriè ens rationis. Vnde cum dicitur, *habere esse obiectiuè in intellectu, est idem formalissimè, ac habere esse in cognitione*, distinguo *subiectiuè* nego, *obiectiuè* concedo. Ex quo non sequitur, quòd si cognitio subiectatur in intellectu, ibi etiā subiectetur obiectum talis cognitionis, quia obiectum formaliter vt obiectum nullibi subiectatur.

DVBIVM SECVNDVM

Quotuplex sit diuisio entis rationis?

16. TRES diuisiones extant entis rationis. Prima est in entia rationis positiua, & in entia rationis negatiua. Ratio huius diuisionis est, quia appræhendere possumus non solùm entia, quę possibilia non sunt, verùm etiam non entia, quæ dari repugnant in rerum natura, vt quando appræhendimus negationem existentię Dei, & negationem personarum Trinitatis, appræhendimus negationes omnino impossibiles; impossibile namque est, Deum non existere, aut non esse trinum: ergo negationes istæ tantum habent esse obiectiuè in intellectu: ac proinde sunt pura entia rationis, & pura figmenta: ergo vltra entia rationis positiua, dantur entia rationis negatiua.

17. Secunda diuisio est in ens rationis cum fundamento in re, & in ens rationis sine fundamento in re. Hoc dicitur ens rationis ratiocinantis, & purè chimericum; illud rationis ratiocinatę. De hac diuisione multùm discrepant recentiores; quidam illam impugnant, quia existimant, omnia habere fundamentum in re; alij è contra asserunt, nullum ens rationis habere fundamentum in re, sed omnia absque vllo fundamento fingi ab intellectu. Communis tamen sententia eam admittit, iuxta quam.

18. Dico primò dari ens rationis, quod sine fundamento aliquo fingi possit ab intellectu. Assertio hęc est contra priores recentiores; & probatur quia intellectus concipit Hircocervum, quasi animal compactum ex duabus naturis repugnantibus: Item distinguit eandem rem à se ipsa, & concipit eam tanquam sibi ipsi inexistentem, & format propositionem identicam, *Petrus est Petrus*: sed ad fingenda hæc entia rationis, nullo fundamento ducitur intellectus: ergo dari potest ens rationis, quod sine fundamento aliquo fingi potest ab intellectu.

19. Dico secundò dari plura entia rationis, quæ habent fundamentum in re. Hæc secunda assertio est contra posteriores recentiores; & probatur quia sicut illud, quod est motiuum, & occasio aliquid putandi, & opinandi, dicitur fundamentum nostrę opinionis: sic illud, quod est motiuum, & occasio fingendi aliquod ens rationis, dici potest fundamentum fictionis talis entis rationis: sed intellectus noster ex aliquo motiuo, & occasione fingit plura entia rationis: ergo dantur plura entia rationis, quæ in re habent fundamentum suæ fictionis. Probatur minor seu explicatur exemplis. Visio, quæ terminatur ad parietem, & refertur ad illum, est occasio intellectui concipiendi esse visum in pariete per modum cuiusdam mutuæ relationis,

que

quę tamen reutra non est. Item cũ in homine realiter sit, & principium sentiendi, & discurrendi: principiũ autem sentiendi sit etiam in brutis, in quibus non est principium ratiocinandi; hoc est motiuum, & fundamentum intellectui, distinguendi eos duos gradus, qui re vera distincti non sunt; Itemque concipiendi principium sentiendi seu animal, tanquam superius quid ad hominem & brutum, quod possit communicari vtrique: & ita formatur ens rationis, vniuersale, & genus Rursus in Deo dantur intellectus, & voluntas, & alia attributa, quæ à parte rei sunt vnum, & idem; quia tamen similia attributa sunt distincta in rebus creatis, & in Deo ipso valet dicere, Deus per intellectum, non per voluntatem, intelligit, dicit, & gignit Verbum: per voluntatem, non per intellectum, amat, spirat, & producit Spiritum Sanctum. Hæc est occasio, & motiuum intellectui distinguendi attributa diuina. Plura ergo entia rationis fingit intellectus noster ex aliqua occasione, & motiuo.

20. Tertia diuisio entis rationis est in relationem, negationem, & priuationem. Quæ communiter traditur, & sumitur ex D. Th. q. 1. de verit. art. 1. & in 1. dist. 2 q. 1. art. 3. Aliqui dicunt, per relationem intelligi formam, qua concipitur referri id, quod re vera non refertur. Per priuationem intelligi, quando priuatio, id est, carentia formæ in subiecto capaci, concipitur ad modum formæ positiuæ, vt cæcitas in oculo. Per negationem intelligi, quãdo negatio, vel in subiecto incapaci formæ negatę, vt negatio leonis in homine; vel omnino absque subiecto, vt negatio Antechristi, concipitur ad modum entis positiui. Ita prædictam diuisionem explicat P. Suarez disp. 54. metaphysicę.

21. Sed diuisio sic explicata est valde diminuta, & multò plura entia rationis relinquit; nam sicut concipimus ens rationis ad instar relationis, sic concipere possumus ens rationis ad instar substantię, quantitatis, aut alterius prędicamenti, vt cum concipimus chimeram, quæ substãtia rationis est; spatiũ immaginarium, quod quantitas rationis est: atqui hęc entia rationis non cõtinentur in pręfata diuisione iuxtà explicationem traditã: ergo diuisio sic explicata, est valde diminuta.

22. Respondent, hæc entia rationis esse sine fundamento, & ideo nõ includi in diuisione allata. Sed contra; quia in diuisione allata non diuiditur ens rationis tantùm habens fundamentum, sed ens rationis vt sic, abstrahens ab eo, quod habet fundamentum, & ab eo, quod non habet fundamentum: ergo in membris diuidentibus debet includi non solùm ens rationis habens fundamentum, sed etiam ens rationis non habens fundamentum; ac proinde si iuxta traditam explicationem non continetur chymera, aut aliud simile ens rationis, prędicta explicatio insufficiens est.

23. Ea igitur relicta, aliter allatam diuisionem explicamus, nempe per varios essendi modos, quibus fingere possumus, & concipere ad modum entis ea, quæ non sunt. Possumus ergo primò concipere ens rationis per modum essẽdi ad aliud, hoc est, per modum respectus, & ordinis ad terminum. Secundò sine respectu ad aliud, per modum essen-

di in aliquo tanquam in subiecto, hoc est, per modum formę inhęrentis subiecto, nec respicientis alium terminum extrinsecum. Tertiò sine respectu ad terminum, & sine modo essendi in subiecto, per modum essendi ad se, & per se, cum videlicet concipitur chimera Hircoceruus. Hinc adequatè habemus tria genera entis rationis: non n. superest aliud extra hos tres essendi modos.

24 Et hęc possunt satis commode accipi per illa tria nomina, relationis, priuationis, negationis. Videlicet ens rationis ad aliud, est relatio rationis. Ens rationis in se, est negatio rationis. Ens rationis in alio, est priuatio rationis. Nam respectus ad aliud conuenientissimè appellatur relatio. Alijs verò generibus entis rationis, cum in uniuersum ens rationis non sit ens reale, conuenienter nomina non entium attribuuntur, scilicet negatio, & priuatio, Et quia rursus de ratione negationis non est, vt sit in subiecto, quia saluatur etiam extra subiectum: de ratione verò priuationis omnino est, esse in subiecto: ideo conuenienter ens rationis in se, dicetur negatio; & ens rationis in alio, dicetur priuatio.

DVBIVM TERTIVM

Quænam potentia ens rationis efficere possit?

25. Circa præsens dubium varia sunt Doctorum placita, probabilior sententia docet, solum intellectum efficere posse ens rationis; quam tenent Thomistę, & plures alij. Ratio fundamentalis est: quia cum esse entis rationis consistat in hoc, quod cognoscatur; ab illa dumtaxat potentia effici potest, à qua potest cognosci: sed à solo intellectu potest cognosci: ergo solus intellectus effici potest ens rationis. Probatur minor nulla potentia ferri potest extra suum obiectum adęquatum, quia per ordinem ad illud specificatur, & distinguitur ab alijs: sed illud esse fictum, in quo consistit ens rationis, cum non sit quid sensibile, est extra obiectum adęquatũ cuiuscumque potentię sensitiuę, non autem extra obiectum adęquatum intellectus, quod est ens: ergo à solo intellectu, & non ab alia potentia cognosci potest.

26. Hęc ratio, quę efficacissima est, etiam probat, neque voluntatem posse efficere ens rationis, quia voluntas non est potentia cognoscitiua, sed cęca, sequens dictum rationis: ergo si solùm potentia cognoscitiua potest efficere ens rationis, voluntas non potest esse causa effectiua illius. Et quamuis interdùm voluntas humana tendat in id, quod in re non videtur bonum, ac si esset bonum, tamèn ipsa non fingit tale bonum, sed supponit appræhensum, & repræsentatum per intellectum: vndè etiam si illud computetur inter entia rationis, non est à voluntate fabricatum, sed ab intellectu.

27. Ob. 1. Appręhendere rem aliter ac est in se, est facere ens rationis: atqui sensus externi appræhendunt sępè res aliter ac sunt in se: Oculus enim appræhendit solem ve globum vnius palmi, qui tamen est longè maioris magnitudinis; item appræhendit in Iride colores, in qua colores re vera non sunt; Similiter gustus febricitãtis sapores dulces pu-

tat esse amaros; & sic de alijs: ergo non tantùm intellectus, verùm etiam sensus externi possunt facere ens rationis.

28. Respondetur distinguendo maiorem; apprahendere rem aliter *positiuè*, concipiendo scilicet aliquid, quod in ipsa non est, est facere ens rationis, concedo. Apprahendere rem aliter *negatiuè* solùm, non apprahendendo scilicet eam vt in se est, absque eo tamen quod apprehendatur aliquid in ea, quod in ea non sit, nego: hoc autem solùm posteriori modo apprahendunt sensus res aliter ac sunt, non autem priori, Per quod patet ad minorem; ad cuius probationem respondeo, oculum apprahendere solem vt globum vnius palmi solùm negatiuè, quatenus non apprahendit vt maiorem, non verò positiuè, quasi apprahendat paruitatem illam vt existentem in ipso sole. Similiter in iride non videt, nisi lumen, quod ex varia reflexione in nubibus habita, acquirit similitudinem quandam cum coloribus. Sicut nec gustus apprahendit amaritudinem in saporibus dulcibus, sed solùm non apprahendit eos vt in se sunt, sed prout repraesentantur, ob medij indispositionem, scilicet praeoccupati amaritudine.

29. Ob. 2. Phantasia ex duobus verè existentibus potest componere vnum aliquid non existens in rerum natura, vt quando ex speciebus mōtis, & auri, componit montem aureum, atqui tunc facit ens rationis: ergo phantasia potest facere ens rationis. Probatur minor, eo ipso, quod phantasia ex auro, & ex monte componit montem aureum, aut aliam similem chimeram, attingit sua cognitione totum illud aggregatum, ac si esset verum ens reale: ergo quod non est, cognoscit ad modum entis: sed hoc est facere ens rationis: ergo.

30. Respondetur loquendo de phantasia secundùm se, negando maiorem, nempè quòd componat formaliter chimeram, quia sua cognitione non attingit illud aggregatum formaliter quatenus est quid compositum, & vnum; haec enim compositio, & vnitas non est sensibilis Sed dicitur componere tantū materialiter, quatenus vna, & eadem cognitione fertur simul supra illas reales entitates partium, quas antea seorsim cognouit, ex eo quòd species sensibiles propter aliquam alterationem organi perturbatae, non repraesentant res perfectè; vt inter se distinctas. Et ideo nullum facit ens rationis.

31. Dixi, *loquendo de phantasia secundùm se*; nam phantasia hominis, quia propter coniunctionem cū intellectu, refluit ab illo in ipsam virtus aliqua, ratione cuius potest aliqualiter operari extra propriam sphęram, eliciendo veros actus iudicij, aut discursus, licèt imperfectos, vt ex sententia D. Thomae, & grauissimorum Philosophorum docent rectè Caiet. 1. 2. q. 74 art. 4. Bannez 1. p. q. 78 art. 4. dub. 2. & alij; ideo iuxta hanc sententiam cōcedi potest, quòd phantasia efficere possit aliquod ens rationis. Neque hoc praeiudicat supradictis: quia talia entia rationis fierent à praedicta potentia, non secundùm quòd sensitiua est, sed secundùm quòd participat aliquid de intellectu; & sic intellectus ipse esset causa principalis illorum.

32. Ob. 3. Voluntas peccantis mor-

mortaliter peruersè ordinat Deum ad creaturas: atqui talis ordo non est realis, quia à parte rei creaturæ ordinantur à Deum, & non Deus ad creaturas; sed rationis: ergo voluntas efficit aliquod ens rationis.

33. Respondetur negando minorem, quoniam ordinare vnum ad aliud, non est opus voluntatis, sed intellectus, vt docet S. Th. 1. 2. q. 17. art. 1. & probat Caietanus ibidem contra Scotum. Vnde quando voluntas amat vnum propter aliud, formaliter loquendo non ordinat vnum ad aliud, sed quod iam ordinatum est per intellectum, appetit.

DVBIVM QVARTVM

Vtrum intellectus diuinus efficere possit ens rationis?

34. SVPER hoc dubio sunt tres sententiæ; Prima absolutè negat Deum efficere posse ens rationis. Quam sententiam eius sectatores probant sic: Ens rationis non formatur, nisi concipiendo per modum entis id, quod ens non est: atqui hoc repugnat perfectioni diuinę cognitionis, quæ in eo posita est, quod vnumquodque clarissimè cognoscat sicuti est: ergo fieri non potest, vt per diuinum intellectum ens aliquod rationis formetur. Et confirmant; nam fieri non potest, vt diuinus intellectus concipiat spiritualia ad instar corporalium, quia hic modus cognoscendi est imperfectus, & ad perfectionem eius pertinet: ita intueri spiritualia sicuti sunt, & non aliter: ergo pari ratione fieri non potest, vt diuinus intellectus concipiat vt distincta, quæ in re distincta non sunt, quia hic est modus imperfectus cognoscendi: ergo distinctio rationis non potest fieri per diuinum intellectum: sed eadem ratio est de quocumque alio ente rationis: ergo nullum ens rationis ab intellectu diuino fieri potest.

35. Sed ratio ista efficax non est; tota enim consistit in hoc, *ideo diuinus intellectus ens rationis non facit, quia ens rationis non cognoscit*; hæc autem causalis est falsa, & probo sic: intelligere omne intelligibile est perfectio: atqui entia rationis sunt suo modo intelligibilia: ergo ad diuinam perfectionem pertinet illa etiam intelligere. Rursus, intellectus diuinus compræhendit intellectum humanum: ergo cognoscit omnia ad quæ eius virtus extendi potest: atqui talis virtus extendi potest ad entia rationis, ergo cognoscit entia rationis; falsum est ergo illa diuinum intellectum non cognoscere.

36. Propter hæc argumenta aliqui sententiam hãc alia ratione probant sic: Deus solùm cognoscit ens rationis factum à nobis: sed cognoscere ens rationis factum à nobis, est non facere ens rationis: ergo Deus nullum ens rationis facit. Probant minorem: ens rationis est, quod consequitur esse ex vi cognitionis, qua cognoscitur: atqui tunc consequitur esse ex vi cognitionis, quando illud esse non habet; si enim postquam formatum est, cognoscitur, iam præsupponitur habere esse, & consequenter ex tali cognitione nõ consequitur esse: ergo si Deus solùm cognoscit ens rationis factum à nobis, ens rationis non facit.

37. Sed neque ratio ista est efficax; nam in primis suppositum est falsum, nempè quòd Deus solùm cognoscat ens rationis factum à nobis;

bis; omnia enim entia rationis sunt intelligibilia: sed Deus sua infinita intellectione: attingit omne intelligibile: ergo Deus non solùm cognoscit entia rationis facta à nobis, sed omnia alia. Rursus si Deus nunc cognoscit ens rationis, quod ab intellectu humano habet esse; cognouit etiam illud ab æterno, antequàm creatus intellectus illud effingat: ergo Deus ab eterno habet effectum actu obiectiuè à suo intellectu aliquid, quod non dum formatum est ab intellectu creato: tale autem esse obiectiuum actu pendēs ab intellectu diuino, & non ab intellectu creato, nec est à parte rei, nec potest esse à parte rei aliquid reale: ergo est aliquid rationis factū ab intellectu diuino.

38. Deindè admisso supposito adhuc ratio nō probat intentum; quod sic ostendo: Non potest Deus intelligere ens rationis fictum ab intellectu humano, nisi illud ens rationis sit obiectiuè præsens intellectui diuino: sed ad hoc esse fictum prout est obiectiuè præsens intellectui diuino, solùm concurrit intellectus diuinus, & non humanus: ergo nō potest intellectus diuinus cognoscere ens rationis factum à nobis, & ens rationis non facere. Probatur minor, si ad illud, prout est præsens intellectui diuino, concurret intellectus humanus, cessante hoc intelligere, cessaret statim ipsū ens rationis, & præsētia illius in intellectu diuino; quia ens rationis cessare debet cessāte intellectione, à qua producitur: sed cessāte intellectu humano intelligere, intellectus diuinus adhuc perseuerare potest in intellectione illius entis rationis: ergo ad illud prout est obiectiuè in diuino intellectu nō concurrit intellectus humanus, sed diuinus. Fateri ergo debent isti auctores, posse à Deo fingi ens rationis, si semel concedāt posse à Deo cognosci.

39. Dices: videtur impossibile, idem ens rationis factum ab intellectu creato, iterùm fieri ab intellectu diuino. Respondetur, quòd sicut plures visiones attingere valent idē numero visibile, sic plures intellectiones attingere possunt idem numero ens rationis, quod obiectum intelligibile est; cum autem ens rationis consistat in intelligi, non mirum quòd ab intellectu diuino, & humano illud intelligentibus producatur. Neque ens rationis habet causam productiuam propriè dictā, sed secundùm quid dicitur fieri, vt patet ex dictis, nempè per hoc quod intelligatur.

40. Secunda sententia concedit, solùm illa entia rationis Deum facere posse, quæ ab intellectu creato dependent; quia independenter ab intellectu creato (ait) Deus nullū ens rationis cognoscit. Et probat: quia cognoscere ens rationis independenter ab intellectu creato, est sua immediata cognitione Deum versari circa obiectum aliter ac est in se, ita quòd modus isto cognitionis refundatur in intellectionem diuinam: atqui hoc dici non potest, quia intellectio diuina ob suam infinitam perfectionem attingit rēs sicuti in se sunt: ergo non potest diuinus intellectus independenter ab intellectu creato ens rationis cognoscere, neq; efficere. Nullum autem est inconueniens, quòd Deus concipiat ens rationis dependenter ab intellectu creato, quia tunc cognoscit illud sicuti est factum, vel faciendum à nobis;

nobis; & sic non cognoscit rem aliter ac est. Sicuti non est inconueniens, quòd quando quis cognoscit spirituale ad instar corporis, falsum ad instar veri, malum ad instar boni, quòd Deus comprehendendo intellectum illum deceptum, cognoscat obiectum talis deceptionis, spirituale vt corpus, falsum vt verum, & bonum vt malum.

41. Fateor, hanc sententiam esse probabilem, sed probabilior est tertia, quæ docet, Deum etiam independenter à nostris actibus ens rationis cognoscere, & facere posse. *Primum probatur*, quia Deo negare non possumus has, vel similes cognitiones, *Duo contradictoria nequeunt esse simul. Alius Deus non est possibilis. Chimæra repugnat*. Quibus actibus, & concipiuntur duo contradictoria, & alius Deus, & chimæra (non potest enim negari, quod non cognoscatur) quæ omnia sunt impossibilia, & entia rationis: atqui huiusmodi cognitiones habet Deus omninò independenter à nostris actibus, vt per se patet: ergo & cognitionem entis chimærici, vt illud dicit repugnare, potest habere independenter à nostris actibus. § *Probatur secundum euidenter*, quia fieri ens rationis, est dare illi esse per cognitionem: sed dum Deus cognoscit illam chimæram, facit vt illa tantùm habeat esse obiectiuè in intellectu diuino: ergo facit ens rationis. *Confirmatur;* Alius Deus ab hoc distinctus, non habet in se vllum esse, antequam Deus dicat, *non est possibilis alius Deus*, nec habebat esse in intellectu: quando verò affirmatur à Deo, *non est possibilis*, iam habet esse in intellectu diuino: ergo fit à solo intellectu diuino.

42. Dices: quando Deus dicit; *chimæra repugnat*, vel *alius Deus non est possibilis*, dicit, quod est à parte rei: ergo non facit ens rationis. Resp. ibi esse duo, & repugnantiam chimeræ, vel impossibilitatem alterius Dei; Et hoc datur à parte rei, & sic ex hac parte Deus non facit ens rationis. Secundum, quod ibi est, est cognosci alium Deum, & chimæram; alius autem Deus vel chimera non habet aliud esse, quàm cognosci: ergo tunc fit ens rationis.

43. Restat vt respondeamus ad fundamentum vtriusque oppositæ sententiæ, ad quod breuitèr dico, quòd tunc cognoscere non ens vt ens, est imperfectio, quando cadit supra modum cognitionis, non verò quando cadit supra obiectum cognitum. Ens autem rationis est non ens vt ens, & Deus cognoscendo ens rationis, attingit illud sicuti in se est.

DISPVTATIO II.

De vniuersali secundùm se.

1. Explicato ente rationis in communi, descendimus ad explicandum secundas intentiones, quæ sunt obiectum logicæ. Et primò agimus de vniuersalibus & prædicabilibus, medijs quibus ordinantur predicamenta. Vniuersale autem generalitèr loquendo nihil aliud est, quàm aliquid vnum dicens ordinem ad plura: vndè ex diuersitate huius ordinis sumuntur diuersæ acceptiones vniuersalis. Primò enim potest aliquid vnū dicere ordinem ad plura vt causa eorum; qua ratione Deus dicitur causa vniuersalis rerum omnium creatarum, quia omnes de nihilo

nihilo produxit. Etiam Cœli dici solent causę vniuersales, quia influũt in res inferiores sub lunæ cauo contentas, sine quo influxu conseruari non possunt. Et hoc appellatur *vniuersale in causando*. Secundò vt similitudo eorum; & hoc pacto species impressæ Angelorum, quarum quælibet ipsi Angelo plura distinctè repræsentat, vniuersales dicuntur, ad distinctionem earum, quæ vnius tantùm singularis sunt similitudo. Et hoc appellatur *vniuersale in repræsentando*. Tertiò aliquid potest comparari ad plura, vt signum eorum: & huiusmodi sunt voces communes, vt hæ *homo*, & *animal*, quę quia plura significant, dicuntur *vniuersale in significando*. Quartò tandem aliquid potest respicere plura vt existens in illis; vnde oritur, quòd de eis prædicetur. Et hoc appellatur *vniuersale in essendo*, seu *prædicando*; definiturq; ab Aristotele *esse vnum in multis, & de multis*; solet etiam appellari *vniuersale logicum*, quia continetur sub obiecto logicæ; & de hoc solùm agimus in præsenti. In hoc vniuersali inueniuntur tria, quæ ad integram eius rationem pertinent; scilicet materiale, fundamentale, & formale; nempe natura, seu subiectum, quod denominatur vniuersale, & hoc dicitur vniuersale pro materiali; fundamentum proximum relationis vniuersalis, quod est vnitas, seu natura præcisa ab inferioribus cum non repugnantia ad essendum in illis; Et forma ipsa relatiua, qua comparatur, & respicit illa plura. Ratio est; quia vniuersale logicum consistit in respectu ad inferiora: in omni autem respectu hæc tria concurrunt scilicet subiectum, fundamentum, & forma ipsa relationis. Et de his omnibus suo ordine dicemus.

DVBIVM PRIMVM

Vtrum à parte rei dentur naturæ, quæ denominari possunt vniuersales?

2. NEgant Nominales, qui solùm voces admittunt vniuersales, non verò res per eas significatas. Contra quos dico primò dari à parte rei naturas, quæ denominari possunt vniuersales. Ita D. Th. de ente, & essentia cap. 4. & opusc. 55. & 56. Albertus Magnus tract. 2. logicæ, & omnes communiter. Probatur primò; quia naturæ, quæ secundùm se, & essentialiter non sunt singulares; appellandæ sunt vniuersales; aliàs inter eas, & naturas essentialiter singulares nulla esset distinctio: sed à parte rei dantur naturę, quæ secundùm se, & secundùm prędicata essentialia non sunt singulares: ergo à parte rei dantur naturę, quę denominari possunt vniuersales. Prob. minor, illa natura non est secundùm se, & essentialiter singularis, quæ reperiri potest in multis: sed à parte rei natura humana, equina, leonina, & similes, non solùm reperiri possunt in multis, sed de facto reperiuntur in omnibus indiuiduis: ergo à parte rei dantur naturę, quę secundùm se, & essentialiter non sunt singulares.

3. Probatur secundò; A parte rei dantur voces vniuersales: ergo debent dari res vniuersales, seu quæ denominari possunt vniuersales. Antecedens est Nominalium. Consequentia verò probatur, voces vniuersales significant res: non significant res sin-

singulares; aliàs nullum esset discrimen inter vocem vniuersalem, puta hanc *Homo*, & singularem, vt *Petrus*: ergo significant res vniuersales: ergo si Nominales admittunt voces vniuersales, res etiam vniuersales admittere debent. ¶ Confirmatur, quia hæ propositiones, *Petrus est homo*, *Homo est animal*, sunt vere prædicationes: ergo id, quod in illis enunciatur, est res aliqua, atqui non est indiuidualitas, vt ex se patet: ergo est res aliqua communis: ergo à parte rei dantur gradus, seu naturæ communes, quæ denominari possunt vniuersales.

4. Dices cum Nominalibus, vocem communem *homo*, *animal*, vel similem, non significare naturam aliquam communem, sed esse quasi nomen collectiuum, significans omnes homines, omnia animalia, vel similia; in quo differt à voce singulari, quæ vnicum dumtaxat indiuiduum significat: & ita quando dicimus; *homo est animal*, sensus est, *omne*, *quod est homo*, seu *omnes homines sunt animal*.

5. Sed contra: quia iuxta hanc solutionem hæc propositio, *Petrus est homo*, redderet hunc sensum, *Petrus est omnes homines*, seu *omne id, quod est homo*. Et hæc alia, *Petrus currit* idem significaret, ac *omnes homines currunt*, seu *omne id, quod est homo, currit*. Atqui hæc omnia sunt falsa, vt ex se constat: ergo.

6. Dico secundò Naturas, quæ denominari possunt vniuersales à parte rei non esse separatas à singularibus. Probatur, quia naturæ à parte rei producuntur cum ipsa re, in qua existunt; sed quælibet actio realis terminatur ad rem singularem: ergo naturæ à parte rei non sunt separatæ à singularibus. Et confirmatur, quia naturæ sunt essentiales rebus: implicat autem aliquid esse de essentia alicuius, & quòd non sit in illo.

7. Quæres. An naturæ, quæ non habent, nisi vnicum indiuiduum, denominari possint vniuersales? Pro solutione huius quæsiti notandum est, quòd inter naturas non habentes nisi vnicum indiuiduum, duplex differentia considerari potest. Nam quædam natura est, quæ de facto non habet plura indiuidua, potest tamen habere de possibili, sicut luna, sol, & similia; hæc enim habent materiam diuisibilem absolutè, licèt non diuisibilem naturaliter: ex diuisione autem materiæ nata est consequi multiplicatio indiuiduorum. Alia natura est, quæ nec de facto, nec de possibili potest habere multiplicationem indiuidualem, quia caret omni materia, vt sunt substantiæ spirituales completæ, scilicèt Angeli.

8. De prima natura non est difficultas in præsenti; quia constat, illam naturam posse esse in multis, & prædicari de multis, in qua multa indiuidua possibilia sunt. Tota autem difficultas est de secunda natura. Circa quam non disputamus modò, an sint possibiles, vel non possibiles plures Angeli solùm numerò distincti. De quo agitur 1. part. quæst. 50. si enim sunt possibiles plures numerò distincti, quæsitum difficultate vacat; dicendum est ni. de natura angelica, sicut dicitur de Sole, Luna, & alijs naturis, in quibus plura indiuidua sunt possibilia. Sed admisso quòd sint impossibilia plura indiuidua in natura angelica, tunc procedit propositum quæsitū.

9. Super quo est duplex sententia: prima negat huiusmodi naturas denominari posse vniuersales. Ita tenent omnes extra scholam S. Th. quorum ratio est: quia natura angelica nec actu, nec potentia est in multis, ex hypotesi quòd sint impossibilia talia multa: ergo denominari non potest vniuersalis.

10. Cōtraria tamen sententia tenenda est, quam docet S. Th. opusc. 42. cap. 5. & de spiritualibus creaturis art. 8. ad 4. & alibi sępè; ideoq; inter eius discipulos receptissima est, & videri possunt Caiet. 1. part. q. 13. art. 9. Ferrar. 2. cont. gent. cap. 63. Iauell. 12. met. q. 14. Collegium Complutense in log. disp. 6. q. 4. Ioannes à S. Th. q. 8. art. 3. & alij grauissimi auctores, qui scholam thomisticam illustrarunt.

11. Probatur efficacissimis rationibus. *Primò*, quia natura angelica non est essentialiter singularis (sola n. natura diuina est huiusmodi) ergo cùm inter singulare & vniuersale non detur medium, natura angelica erit vniuersalis. *Secundò*, quia natura angelica verè prædicatur de suo vno indiuiduo: non prædicatione identica, quia natura ratione formali distinguitur ab indiuiduo: nec pręedicatione ęquali, quia aliàs esset prædicatio identica, sicût quando indiuiduum pręedicatur de indiuiduo: ergo prædicatione superioris de inferiori. Sed prædicatio superioris de inferiori est prædicatio vniuersalis: ergo natura angelica est vniuersalis. *Tertiò*, quia Angelus Michael, vt est quędam res singularis à parte rei existens, est verum indiuiduum, quod directè ponitur in pręedicamento substantię, vt fundamentum aliorum pręedicatorum: ergo supra illud apprehēdimus gradum aliquem specificum, cui immediatè subijciatur (implicat n. dari indiuiduum, quod non contineatur sub aliqua specie infima, vt per se patet) ergo illud indiuiduum verè subijcitur suę naturę specificę. Sed subijcibilitati indiuidui correspondet vniuersalitas speciei: ergo natura specifica Michaelis verè est vniuersalis, quamuis vnum tantum habeat indiuiduum. Et *quartò*, quia illa natura est capax vniuersalitatis, & denominationis vniuersalis, quæ potest præscindi à singularitate, & sic præcisa comparari ad plura: atqui natura Angelica habet omnia ista: ergo. Probo minorem; Natura Angelica potest abstrahi ab indiuiduatione, & sic abstracta cum non includat, nec excludat vnum, nec plura indiuidua, est indifferens ad vnū, vel plura: ergo quantum est ex se, non habet repugnantiam respicere plura, & comparari ad illa. *Confirmatur*, quia repugnantia ad plura indiuidua in natura Angelica non est secundùm pręedicata naturę, sed penes modum indiuiduandi naturam: ergo si concipiatur natura quantum ad sua pręedicata, & non modus ipse indiuiduandi naturam, non accipitur natura vt repugnans multiplicationi indiuiduorum.

12. Ob. 1. Quantumcunq; abstrahatur natura Angelica, non potest abstrahi ab eo, quod est sibi essentiale: sed natura Angelica est essentialiter irreceptibilis in materia, & ab hac irreceptibilitate prouenit immultiplicatio indiuiduorum: ergo natura Angelica non potest taliter abstrahi ab indiuiduatione, vt sit capax vniuersalitatis, si non potest abstrahi ab hac irreceptibilitate.

13. Respondetur quòd sicut in rebus corporeis materia habet duplicem considerationem, scilicet componere, seu constituere ipsam naturam, & radicaliter esse principium indiuiduationis, & multiplicationis numericę; & tamen quando consideratur natura in communi, consideratur ratio materię, vt constituẽs, non vt principium indiuiduandi est: Ita in suo opposito, scilicet in carentia materię, & irreceptibilitate in ea, duplex consideratio potest attendi; & secundùm quod pertinet ad ipsam constitutionem naturę purè spiritualis, & secundùm quod pertinet ad modum indiuiduationis, quatenus talem naturam spiritualem reddit incommunicabilem, & immultiplicabilem; & vna consideratio secernitur ab alia. Quando autẽ abstrahimus naturam specificã Angeli à modo indiuiduandi, non pręscindimus in tali natura quod essentiale est quantum ad constitutionem quidditatis; sed id, quod in natura illa pertinet ad modum indiuiduationis.

14. Ob. 2 Natura diuina potest concipi sine singularitate, & tamen non est vniuersalis: ergo similiter licèt natura Angelica possit abstrahi à suo indiuiduo, non propterea erit vniuersalis.

15. Respondetur esse disparem rationem, quia & si natura diuina concipi possit sine singularitate, tamen ipsa natura sic concepta, non manet cum indifferentia, & potentialitate ad indiuiduationem, siquidem concipitur vt actus purus. Cęterum natura Angelica abstracta, est in potentia ad indiuiduationem, & indifferens vt contrahatur ab vno, vel pluribus indiuiduis. ¶ Ex dictis patet responsio ad fundamentum contrarię sententię.

DVBIVM SECVNDVM.

Vtrum naturæ communes à parte rei habeant vnitatem formalem in indiuiduis non multiplicatã?

16. CVM naturæ istæ non sint à parte rei à singularibus separatæ, sed in eis existentes, manifestum est, iuxta pluritatem realem, & distinctionem numericam indiuiduorum naturas ipsas esse realiter multiplicatas in illis; & ex cõsequenti naturam humanam Petri v. g. esse vnam numerò per vnitatem numericam, quam habet Petrus; & naturam humanam Pauli esse vnam numerò per vnitatem numericam, quam habet Paulus; & sic de alijs. Sed quia duæ istæ naturæ solùm distinguuntur per principia materialia, ex quibus sumitur distinctio numerica, non verò per aliqua principia formalia, seu essentialia, in quibus potius conueniunt e hinc exurgit præsens difficultas, An vnitas formalis in natura à parte rei sit vna in omnibus indiuiduis, an potius multiplicetur, sicut multiplicantur vnitates numericæ.

17. Conclusio, vnitas formalis nõ est vna, communis omnibus indiuiduis, sed ad eorum multiplicationẽ multiplicatur in illis. Ita D. Th. de ente, & essentia cap. 4 & opusc. 55. & 1. part. q 85. art. 2. ad 2. quem sequũtur omnes eius discipuli, alijq; plures, & ex nostris hanc sententiã tenent Franciscus Caro in sua Philosophia rationali disp. 1. de vniuers. disquit 2. Augustinus de Angelis disp. 2. lect. 3. & vterque Spinula

nula, Stephanus disp. 5. log. sect. 2. & Phylippus disp. 3. dub. 2.

18. Probatur primò: Natura à parte rei est multiplex in indiuiduis, & non vna in omnibus: ergo à parte rei non habet vnitatem formalē, quæ sit positiuè communis indiuiduis. Antecedens patet ex dictis; & iterùm probatur, quia si natura à parte rei non multiplicaretur in indiuiduis, sed esset vna in omnibus, Petrus, & Paulus non essent duo homines, cùm in illis non multiplicetur humanitas, licèt in illis singularitates sint diuersæ; sicùt quia in diuinis non multiplicatur natura diuina, personæ diuinæ non sunt tres dij, quamuis multiplicentur personalitates constituentes personas. Ex quo sequeretur, in creatis dari Mysterium Trinitatis; imò quid mirabilius Mysterio Trinitatis: nàm vna natura diuina est in tribus personis, quæ non sunt separatæ loco, neque tempore, neque habent opiniones, ac inclinationes contrarias: at natura humana eadē esset in pluribus hominibus separatis loco, & tempore, quorum vnus nascitur, alius moritur, vnus est bonus, alius malus; vnus est beatus in cœlo alius damnatus in inferno.

19. Consequentia verò probatur, quia hæc vnitas formalis est passio naturæ, sicut vnum est passio entis: sed passiones multiplicantur, multiplicata essentia: ergo sicut alia est natura humana Petri, & alia Pauli; ita etiam alia est vnitas formalis vnius, & alia alterius.

20. Probatur secundò, quia vnitas formalis dicit negationē diuisionis formalis: sed à parte rei non est aliqua negatio, quæ sit vna in omnibus indiuiduis, sed tot negationes, quot indiuidua: ergo à parte rei vnitas formalis nō est vna in omnibus, sed ad multiplicationem indiuiduorum multiplicatur. Probatur minor; Negationes, & priuationes se habent ad modum accidentium, & per similitudinem ad illa accipiunt suam quasi indiuiduationem; sed repugnat, vnum accidens realiter indiuisum, esse in pluribus subiectis; propterea quòd accidentia indiuiduantur à subiecto: ergo etiam repugnat, vnicam, & indiuisam negationē esse in omnibus indiuiduis.

21. Contrariam sententiam tenet Scotus 7. met. q. 18 & in 2. dist. 3. q. 1. cuius ratio potissima est: quia Petrus, & Paulus à parte rei sunt vnum formaliter: ergo vnitas formalis non multiplicatur ad multiplicationem indiuiduorum, sed est vna in omnibus. Confirmatur, quia quantumcunq; natura diuidatur per differentias numericas, manet formaliter indiuisa: ergo in illa manet vnitas formalis Sed talis natura manens eadem formaliter, comunicatur pluribus: ergo illa plura habent vnam, & eandē vnitatem formalem: ac proindè datur in natura vnitas formalis, quæ non multiplicatur in indiuiduis.

22. Respondeo dupliciter, & *primò* cùm Caietano de ente, & essentia cap. 4. quæst. 6. Petrum, & Paulum à parte rei dici vnum formaliter non quia habeant aliquam vnitatem formalem ipsius positiuè communem; sed quia non habent à parte rei, vndè diuidantur formaliter. *Secundò* cùm Masio, Complutensibus, & alijs, Petrum, & Paulum dici esse vnum, solùm per conformitatem seu similitudinem, quam habent à parte rei ratione naturæ, ad

quod

quod non requiritur vna, & eadem natura in ambobus (imò ad realem similitudinem obstaret, quia vt suo loco dicemus, ad hoc vt relatio sit realis, non solùm debent distingui realiter fundamentum, & terminus, sed etiam ratio fundandi, & terminandi. Defectu cuius æqualitas, vel similitudo, quæ est inter diuinas personas ratione essentiæ non est relatio realis, sed rationis; quia quamuis personæ ipsæ realiter distinguantur; ratio tamèn fundandi, & terminandi, nempè diuina essentia, est realiter vna in illis) sed quòd natura vnius sit conformis naturæ alterius in prædicatis essentialibus. Ad eum modum, quo duorum hominum maximè in facie cõformium, & similium, dicimus esse vnam faciem: non quia verè, & realiter sit in illis aliqua vna facies, vt patet; sed quia facies eorum sunt inter se maximè similes; similitudo enim est veluti quædam identitas.

23. Ad confirmationem concedo, naturam, quæ diuiditur realiter per differentias numericas, manere formaliter indiuisam; non tamen vnica indiuisione, sed pluribus; & ideò non sequitur, habere vnam vnitatem formalem, sed plures. Licèt autem vnitas formalis à parte rei multiplicetur in indiuiduis, tamen vnitas formalis vnius non distinguitur formaliter ab vnitate formali alterius, sed tantùm materialiter, & numericè. Quarè licèt natura, quę in se quid formale est, sit realiter diuisa per indiuidua, non est tamen formaliter diuisa: & sic verè dicitur, semper manere formaliter indiuisa; non verò indiuisa realiter. Ex quo tandèm fit, naturam à parte rei habere plures indiuisiones, seu vnitates formales, non formaliter inter se distinctas, sed tantùm materialiter, vt explicatum est.

24. Quæres: quomodo vnitas formalis ab vnitate numerica distinguatur? Hoc quæsitum supponit, dari in rebus vnitatem numericam, & vnitatem formalem; quod suppositum vltra quod patet ex dictis, facilè probatur; quia sicuti à parte rei Petrus non est diuisus in plures materias, seu indiuidua; ita non est diuisus in plures formas, seu essentias: ergo sicuti à parte rei habet carentiam diuisionis materialis; ita à parte rei habet carentiam diuisionis formalis. Sed vnitas formalis est carentia diuisionis formalis, seu entitas indiuisa formaliter; vnitas verò materialis est carentia diuisionis materialis, seu entitas indiuisa materialiter: ergo in Petro à parte rei dantur vnitas numerica seu materialis, & vnitas specifica seu formalis. Difficultas est, quomodo istæ duæ vnitates in Petro distinguantur.

25. Et respondeo breuiter, distingui solùm per intellectum. Ratio est: quia in Petro, vel quolibet alio indiuiduo natura nõ distinguitur realiter à differentia indiuiduali: ergo neque vnitates indè consurgẽtes, scilicèt formalis, & materialis, in eo distinguuntur realiter. Sed non est possibilis aliqua distinctio media inter realem, & rationis: ergo prædictæ vnitates in Petro solùm distinguuntur per intellectum. Minor subsumpta, in qua solùm est difficultas, probatur; inter contradictoriè opposita nullum datur medium: sed distinctio realis, & distinctio rationis opponuntur contradictoriè: ergo inter eas non potest dari

ri aliqua distinctio media Probatur minor, distinctio realis, est distinctio, & non ab intellectu: distinctio verò rationis est distinctio ab intellectu: ergo distinctio realis, & rationis æquiualent distinctioni ab intellectu, & distinctioni non ab intellectu: atqui hæ distinctiones cõtradictoriè opponuntur: ergo ¶ Cõfirmatur, quia distinctio, sicut & vnitas, consequuntur rationem entis: ergo sicut implicat dari ens, quod non sit reale, vel rationis; aut vnitatem, quæ non sit à parte rei, vel per intellectum; itá etiam repugnabit, dari aliquam distinctionem, quæ non comprehendatur sub distinctione reali, vel rationis.

26. Ob. 1. Petrus non constituitur per idem in esse hominis, & in esse Petri; ergo esse formale, & esse materiale in Petro distingũtur plusquã ratione. Probatur antecedens; Petrus per id constituitur in esse hominis, per quod in esse hominis constituitur Paulus; in esse verò Petri non constituitur per id, per quod Paulus cõstituitur in esse Paul: ergo esse hominis, & esse Petri in Petro nõ sunt idẽ. ¶ Resp negando antecedẽs, & ad probationẽ negatur similiter antecedẽs, quod scilicèt Petrus à parte rei cõstituatur in esse hominis per id, quod in esse hominis constituitur Paulus; nàm vnusquisq; habet suam naturam humanam distinctam, vt satis ostensum est.

27. Ob 2 Quæ distinguuntur definitione, destinguuntur ante intellectum: sed in Petro esse hominis, & esse Petri distinguuntur difinitione; alia enim definitione definitur esse formale, & alia definitur esse materiale: ergo in Petro esse hominis, & esse Petri non distinguuntur per intellectum. Probatur maior, quæ distinguuntur definitione, habent diuersas essentias; definitio enim explicat essentiam rei: atqui essentiæ distinguuntur ante intellectum: ergo quæ distinguũtur difinitione, distinguuntur ante intellectum. ¶ Respond. distinguendo maiorem: *quæ distinguntur definitione, distinguuntur ante intellectum*, si definitio tradatur de re, prout in se est à parte rei, concedo; si vero definitio traditur de re, non prout est à parte rei in se ipsa, sed tantũ quòd intellectus eam sic, vel sic accipit, nego. Possumus enim ea, quæ à parte rei sunt vnum, concipi ab intellectu vt distincta, & sic definiri; ista quamuis distinguantur definitione, non propterea distinguũtur realiter, quia à parte rei non sunt plures, sed vna entitas.

28. Ob. 3. Petrus ante omnem operationem intellectus est similis Paulo in natura humana, & dissimilis in ratione indiuiduali: ergo hæ rationes ante intellectum distinguũtur; nam implicat idem respectu eiusdem esse simul similе, & dissimile secundùm idem, cùm sint contradictoria. ¶ Respondetur negando consequentiam, & ad probationem dico, nullum esse inconueniẽs asserere, idem respectu eiusdem à parte rei simul esse simile, & dissimile, licèt non omnimoda similitudine, & dissimilitudine; eadem enim entitas caloris vt quatuor à parte rei est simul similis, & dissimilis eidem entitati caloris vt quinque nam duæ istæ entitates in calore sũt similes, & in tantitate caloris sunt dissimiles, & tamen tantitas caloris in his entitatibus non distinguitur realiter ab ipso calore.

DV-

DVBIVM TERTIVM.

An naturæ à parte rei sint formaliter vniuersales?

29. AFfirmat Scotus 7. met. q.18. & 2. dist 3. quæst. 1. consequenter ad sua principia; quia vniuersale pro formali duo dicit, nempè vnitatem, & aptitudinem ad essendum in multis: sed quælibet natura à parte rei est vna formaliter, siquidem per Scotum habet vnitatem formalem; & simul est in pluribus indiuiduis: ergo à parte rei est formaliter vniuersalis.

30. Nihilominùs dicendum est, non dari à parte rei vniuersale pro formali, sed naturam fieri formaliter vniuersalem per operationem intellectus. Hæc conclusio est iàm omninò in scholis recepta. Tradit eàm S. Th. opusc. 55. & 56. & cap. 4. de ente & essentia, vbi latè Caietanus; pro qua etiam videri possunt Suarez disp.6. met.sect.5. Complut. hic disp. 3. q. 5. Ioannes de S. Th. q.3. art.4. & noster Stephanus Spinula disp. 5. log. Probatur quia vt natura sit formaliter vniuersalis, debet esse simpliciter vna, & non multiplicata: sed nulla talis natura est à parte rei, vt constat ex dictis: ergo non datur à parte rei natura formaliter vniuersalis.

31. Probatur secundò, quia natura in triplici tantùm statu considerari potest; vel secundùm se, vel in statu contractionis, vel in statu abstractionis per intellectum: sed natura neque considerata secundùm se, neque in statu contractionis est vniuersalis formaliter: ergo solùm est vniuersalis formaliter in statu abstractionis per intellectum. Bonitas cōsequentiæ patet à sufficienti partiū enumeratione. Maior ex se liquet, quia non est alius status, in quo possit natura considerari Minor verò, in qua solùm est difficultas, probatur; & in primis quòd vniuersale formaliter non conueniat naturæ in secundo statu, res est euidens, quia natura in eo statu non habet aptitudinem ad essendum in multis, sic enim est singularis, & propria vnius. Quòd verò nō competat illi secundū se, & in priori statu, probatur dupliciter; *Primò*, quia illi pro vt sic omninò accidit esse vniuersalem, vel particularem: ergo secundùm quòd consideratur in tali statu, non est formaliter vniuersalis *Secundò*, quia natura secūdùm se cōsiderata, solùm dicit prædicata essentialia, & proprietates: sed vniuersalitas formaliter, nempè aptitudo ad essendum in multis, nec est prædicatum essentiale, nec proprietas naturæ; alioquin vbicunque esset natura, conueniret illi talis aptitudo: ergo natura secundùm se considerata nō est formaliter vniuersalis. Vtramque hanc probationem paucis verbis expressit S. Th. cit. cap.4 de ente & essentia, vbi loquens de natura secūdùm se, sic ait: *si quæratur, vtrum ista natura possit dici vna, vel plures? neutrum concedendum est: quia vtrumq; est extra intellectum humanitatis: & vtrumquè potest sibi accidere.*

32. P. Fonseca, licèt obscurè loquatur, asserit, naturam habere aliquam vniuersalitatem in statu possibilitatis, vel in aliquo priori antequàm contrahatur ad singularia; quia vniuersale (inquit) est vnum aptū esse in multis: sed natura humana pos-

possibilis antequam contrahatur per singularitatem Petri, & Pauli, est vna, & est apta esse in multis: ergo natura humana possibilis est vniuersalis.

33. Pro confutatione huius falsæ opinionis noto, quòd aptitudo, quã importat vniuersale, non est ad essendum in multis vagè, in hoc scilicèt, vel in illo; sed simul, & positiuè debet respicere plura. Vndè licèt non sit necessarium ad vniuersale, actualiter esse in pluribus; cùm verba in definitione nõ dicant actũ, sed aptitudinem; est tamen necessarium, posse positiuè terminari ad plura, ita vt plura quasi componant, & integrent terminum adæquatum vniuersalis: sic enim propriè dicitur vniuersale esse vnum in multis.

34. Hoc posito facilè confutatur prædicta opinio; quia aptitudo propria vniuersalis est positiua indifferentia, seu habitudo ad essendum in pluribus, quæ non amittitur per hoc, quòd vniuersale descendat ad essendum in aliquo inferiori: sed talis aptitudo non datur à parte rei in natura considerata ante contractionem: ergo in eo priori natura non est vniuersalis formaliter. Probatur minor, quia in natura pro illo priori ad summum potest intelligi aptitudo ad vnum vagè sumptum, idest, adhoc, vel illud: quando autem cõtrahitur ad vnum, amittit hanc indifferentiam, vt per se constat: ergo in ea prout sic, non datur à parte rei aptitudo propria vniuersalis.

35. Ex dictis patet solutio ad fundamentum Scoti, & Fonsecæ: dico enim naturam à parte rei non habere, neque vnitatem, neque aptitudinem, quæ requiritur ad vniuersale: solùm enim datur in ea à parte rei vnitas conformitatis, quæ non est aliqua vna vnitas in pluribus, vt supra diximus. Item solùm est indifferens negatiuè, in quantùm de se non est determinata ad hoc, vel illud. Non verò habet à parte rei aliquam indifferentiam, seu communicabilitatem positiuam, vt explicatum est.

DVBIVM QVARTVM.

Per quem actum intellectus natura fiat formaliter vniuersalis?

36. Habemus iam naturam fieri formaliter vniuersalem per intellectum, restat videndum per quem eius actum fiat. Pro quo noto, quòd intellectus noster dupliciter naturam cognoscere potest. Primò, directè cognoscendo eam secundùm sua prædicata essentialia, non cognitis singularibus, sed ab ipsis præscindendo. Secundò reflexè, quatenus postquam præscindit per vnum actum naturam à suis inferioribus, per alium subsequentem cognoscit eandem in ordine ad illa inferiora, vt aptam esse in illis, & prædicari de illis.

37. Actus, quo intellectus cognoscit naturam non cognitis inferioribus, appellatur *cognitio præcisiua*, quia præscindit naturam ab inferioribus, quatenus eam cognoscit, non cognitis illis. Actus verò, quo intellectus naturam sic præcisam cognoscit rursum in ordine ad inferiora, vt aptam esse in illis, & prædicari de illis, dicitur *cognitio reflexa comparatiua*: reflexa quidem, quia versatur circa naturam iam cognitã, & præcisam per actum præcedentẽ: comparatiua verò, quia non attinagi-

git illam absolutè, & secundùm se præcisè, sed respectiuè, & comparatiuè ad inferiora.

38. Hec autem comparatio dupliciter fieri potest: primò, simpliciter apprahendendo naturā in ordine ad sua inferiora vt aptam prædicari de illis, non affirmando, aut prædicando eam actualiter de ipsis, & hęc appellatur *comparatio simplex*. Secundò, prædicando actu; & hæc dicitur *comparatio composita*. De his omnibus actibus quæstio præsens procedit, per quem ex eis natura fiat formaliter vniuersalis.

39. Prima sententia docet, naturam fieri formaliter vniuersalem per abstractionem præcisiuam. Ita Durandus in 1. dist. 3. q. 5. ad 2. & in 2. dist. 3. q. 7. num. 7. & 12. Toletus q. 2. vniuersal. noster Stephanus Spinula disp. 5. sect. 4. Zumel. 1. part. q. 13. art. 7. concl. 7. & Sotus q. 2. vniuersalium; licèt isti duo vltimi non loquantur de abstractione præcisiua intellectus possibilis, sed agentis. Fundamentum huius sententiæ est: quia per illum actum natura cōstituitur formaliter vniuersalis, per quem fit vna & prędicabilis de pluribus, cùm in hoc consistat essentia vniuersalis; sed per abstractionem præcisiuam natura constituitur vna, & prædicabilis de pluribus: ergo per hanc abstractionem natura fit formaliter vniuersalis. Minor probatur, & *primò quoad vnitatem*; quia per abstractionem præcisiuam natura concipitur sine differentijs distinguentibus: ergo in tali conceptu remanet indistincta, ac proindè vna. *Deindè, quoad secundam partem*; quia natura tali pacto vna, non est contracta ad vllum indiuiduum, sed natura ad nullum indiuiduum contracta, est indifferens, & potens de quolibet prædicari: ergo natura per abstractionem præcisiuam fit vna, & prædicabilis de pluribus. Confirmatur quia tunc natura est formaliter vniuersalis, quando habet in intellectu illas conditiones, cum quibus à parte rei esset vniuersalis, si darentur vniuersalia separata Platonis: sed natura abstracta, & præcisa babet in intellectu totum, quod Plato ponebat à parte rei in vniuersali separato: ergo natura abstracta, & præcisa, est in intellectu formaliter vniuersalis.

40. Sed hæc opinio non placet, & facilè reijcitur; quia vniuersale pro formali est ens rationis: ergo nō potest resultare in natura per abstractionem intellectus agentis, neque possibilis. Antecedens satis ostensū est. Consequentia verò quoad abstractionem intellectus agentis, patet, quia ens rationis fieri non potest à potentia non cognoscitiua, vt suo loco probauimus; sed intellectus agens est potentia nō cognoscitiua: vt dicemus in libris de anima: ergo per eius abstractionem non potest resultare in natura vniuersalitas. Quoad abstractionem verò intellectus possibilis probatur sic: intellectus cognoscens naturam humanam non cognitis singularibus, formaliter loquendo non cognoscit illam aliter ac est in se; neque ibi fingit aliquod esse: ergo per talem cognitionem non format ens rationis, ac proindè nec reddit naturam formaliter vniuersalem. Vtraq; consequētia patet; & antecedens probatur à paritate; quia intellectus cognoscēs in pomo saporem, qui à parte rei est in illo, merè negatiuè se habens circa colorem eius, neque illum cognoscit

gnoscit aliter ac est in se, neque per talem cognitionem format ens rationis: ergo similiter intellectus cognoscens prædicata communia, naturæ, merè negatiuè se habens circa singularitates (in quo consistit abstractio præcisiua) non cognoscit naturam aliter ac est in se, neque ex consequenti per talem cognitionem format ens rationis; talia enim prędicata conueniunt naturæ à parte rei.

41. Dices: natura à parte rei est contracta: ergo abstracta à singularitate cognoscitur aliter ac est in se. Sed contra; quia etiam sapor in pomo à parte rei est coniunctus cum colore, & nihilominus intellectus cognoscens saporem, & merè negatiuè se habens circa colorem, non attingit illum aliter ac est in se. Dico igitur, quòd quando aliqua duo sunt identificata, dupliciter vnum potest cognosci sine ordine ad aliud; vno modo purè negatiuè accipiendo vnum alio omisso. Alio modo positiuè, quia accipit vnum vt separatum ab alio cum cognitione vtriusque. Quando intellectus concipit naturam omissis conditionibus indiuiduantibus, & circa illas negatiuè se habendo, tunc non cognoscit naturam aliter ac est in se; sed tunc, quando concipit illam vt distinctam à conditionibus indiuiduantibus, quia à parte rei natura nõ est distincta à prędictis conditionibus; quod non fit per cognitionem præcisiuã, de qua loquimur in præsenti.

42. Deinde admisso, quòd intellectus attingens naturam abstractam, cognoscat illam aliter ac est in se; non tamen sequitur, quòd ea natura sic cognita sit formaliter vniuersalis, quia vniuersalitas non consurgit ex eo, quòd intellectus appræhendat aliquod non ens ad modum entis; sed ex eo quòd naturam positiuè cognoscat cum ordine ad inferiora: per cognitionem autem præcisiuam, & non comparatiuam, natura non cognoscitur cum tali ordine: ergo vniuersalitas non potest resultare in natura per dictam cognitionem.

43. Ex reiectione huius sententiæ manet sufficienter probatum, naturam fieri formaliter vniuersalē per abstractionem comparatiuam; sed difficultas est, an per abstractionem comparatiuam simplicem, an verò compositam. Super qua difficultate diuisi sunt Auctores. Aliqui enim volunt fieri per compositam, quorum fundamentum est, quia vniuersalitas est relatio rationis, qua natura respicit multa, seu est in multis: ergo fit ab intellectu per comparationem, qua eadem natura attribuitur multis. Sed hęc est comparatio composita: ergo per ipsam fit in natura vniuersalitas. Probatur minor, non potest intellectus cognoscere naturam esse in multis, nisi intellectualiter exprimat coniunctionem cum illis, importatam per ly *est*, seu *esse*: sed ad hoc est necessaria actualis prędicatio, vt patet: ergo.

44. Alij verò dicunt fieri per abstractionem comparatiuam simplicē, quia ad essentiam vniuersalis pertinet aptitudo ad essendum in pluribus, vel predicandum de pluribus, non ipsa actualis prædicatio; hęc enim facit prędicabile, sed prędicatum. Et hæc tertia sententia mihi videtur probabilior omnibus alijs, quam docet S. Th. pluribus in locis, præsertim opusc. 48. cap. 3. vbi sic ait: *Quia intellectus reflectitur supra*

seipsum, & supra ea, quæ in eo sunt, siue subiectiuè, siue obiectiuè: considerat iterum hominem, sic à se intellectum sine conditionibus materiæ, & videt, quòd talis natura cum tali vniuersalitate sua abstractione intellecta, potest attribui huic, & illi indiuiduo: & idem format secundam intentionem de tali natura; & hanc vocat vniuersale, seu prædicabile. D. Thomã sequuntur ferè omnes eius discipuli, inter quos videri possunt Sanchez lib. 2. log. q. 16. Complutenses disp. 3. q. 6. & Ioannes à S. Th. q. 3. art. 3. concl. 4. & q. 4. art. 2. concl. vlt.

45. Probatur ratione; quia vniuersalitas logica, est relatio rationis ad multa; hoc enim sumitur ex definitione vniuersalis; quod est *vnum in multis, & de multis*: sed ante relationem actualis prædicationis inuenitur ista relatio vnius ad multa; siquidem ante actualem prædicationem inuenitur natura ipsa sine singularibus, vt prædicabilis de multis; potentia n. qua potest prædicari, præcedit actum prædicationis: ergo ante actualem prædicationem datur relatio prædicabilis ad multa: atqui hæc relatio constituit naturam vniuersalem: ergo natura non constituitur vniuersalis per relationem actualis prædicationis; sed aptitudinis ad prædicandum de multis. ¶ Confirmatur; quia prędicatio naturę de suis inferioribus, vt est in propositione facta per actum compositionis, solùm facit actu prædicatum: ergo supponit prædicabile; quia prius aliquid dicitur prędicabile, quàm prædicatum; prædicabilitas autem est passio vniuersalis: ergo natura presupponitur vniuersalis; & non fit per ipsam actualem prędicationem. ¶ Quòd verò relatio ista sit rationis, probatur; quia relatio rationis fit per hoc quòd apprehendatur ordo inter aliqua, inter quę talis ordo non est: sed cum natura non distinguatur realiter à suis inferioribus, inter naturam, & inferiora à parte rei non est ordo: ergo talis ordo solùm est per intellectum.

46. Dices: Vniuersale logicum consistere debet in respectu naturæ abstractę ad sua inferiora: ergo oportet, quòd ipsa inferiora cognoscantur; respectus enim nequit sine termino cognosci. Sed inferiora constituuntur per inclusionem sui superioris: ergo vniuersale logicum necessariò requirit inclusionem in suis inferioribus, alioquin inferiora non habebit, neque respiciet, siquidem per hanc inclusionem constituuntur.

47. Et confirmatur, quia iste actus comparatiuus, vel intelligit naturam esse in multis, attribuendo, & prędicando eam de illis actu, vel solùm intelligit esse aptam ad essendum in illis. Si primum, est comparatio prædicationis, neque enim actu intelligitur in multis, nisi prędicando naturam de multis. Si secundum, sufficit actus abstractionis pręcisiuę ad constituendum istam relationem; quia ista relatio est relatio aptitudinis ad multa: ergo ille actus, qui sufficit ad ponendam aptitudinem, sufficit ad ponendam relationem aptitudinis; ponitur autem aptitudo per actum abstractionis pręcisiuæ: ergo.

48. Respondetur ad principale argumentum negando minorē subsumptam; ante n. actualem inclusionem ipsa inferiora sunt, vt potentia includere, sicut ipsum superius vt potens includi, & sic terminant

rela-

relationem superioris antequã consideretur actualis inclusio. Itaque sicut actu aliquid est superius, quando actu ei conuenit aptitudo, vt includatur, & sit in multis; non quando actu includitur; ita actu sunt inferiora sub formalitate inferiorum, quando considerantur, quòd actu eis conuenit posse includere, & contrahere suum superius, non quando actu includunt, tunc n. dissipatur distinctio superioris, & inferioris.

49. Ad confirmationem respondetur, quòd aptitudo dupliciter potest considerari, vel negatiuè, vel positiuè: negatiuè est sola non repugnantia ad essendum in pluribus; & ista non cognoscitur actu comparatiuo, sed ipso actu abstractionis præcisiuę consequitur. Positiuè dicit ordinem ad ea, ad quę habet aptitudinem, & iste ordo, seu relatio formaliter non innuenitur, nisi quando ipsa aptitudo concipiatur cum aliqua comparatione, & ordine ad suum terminum. Quare actus comparatiuus constituens formaliter vniuersale, non est ille, quo actu attribuitur multis, sed quo concipitur aptũ ad essendum in multis, non aptitudine sumpta pro sola capacitate, seu non repugnantia, quæ est aliquid absolutum, sed sumpta pro aptitudine ordinata, & respiciente positiuè ipsa plura.



DISPVTATIO III.

De quinque vniuersalibus, seu Prædicabilibus?

DVBIVM PRIMVM

De Genere.

§. I.

Vtrum Genus sit definibile: Quænam sit eius definitio: Et vtrum sit essentialis, vel descriptiua?

1. PRIMA conclusio. Genus definibile est. Et probatur, quia prædicari de pluribus differentibus specie in quid, est ratio communis, eodem modo, & æqualiter conueniens omnibus generibus: ergo est vna: ergo definibilis, seu per vnam definitionem explicabilis.

2. Dices: Quod est definibile, solùm definiri potest per genus, & differentiam, aut per aliquod loco generis, & per aliud loco differentię: sed genus non potest definiri per genus, aut aliquod loco generis, quia ad genus non datur genus: ergo genus nõ est definibile. Confirmatur, nihil potest definiri, nisi species: quia hęc sola componitur genere, & differentia: sed genus non est species, sed distinctum prædicabile ab specie: ergo genus non est definibile.

3. Respondetur negando minorem: Et ad probationem, & confirmationem simul dico, secundùm intentionem generis, esse speciem quãdam vniuersalis: vnde cum species quælibet componatur ex genere, & differentia, hæc etiam secunda intentio componitur ex vniuersali, quod est commune genus prædicabilium,

bilium, & ex differentia, quæ est esse respectiuum ad plures species, de quibus prædicari potest in quid. Itaque genus conuenit cum cæteris prædicabilibus, in ratione communi vniuersalis, quæ est, esse vnum in multis: & distinguitur ab eis, quia est in multis speciebus, de quibus prædicari potest in quid: & sic est determinata species cuiusdam generis, quod est vniuersale, & definiri potest.

4. Secunda conclusio. Genus definitur à Porphyrio hic cap. 2. *esse id quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quid*, quæ definitio bona est. Et probatur, quia bona definitio est, quæ ita naturam definiti explicat, vt illud distinguat à quibuscunque alijs rebus, cum quibus conuenire potest: sed per hanc definitionem explicatur quid sit genus, nempe *prædicabile de pluribus differentibus specie in quid*; distinguitur à reliquis prædicabilibus, nam per particulam *de pluribus differentibus specie*; differt ab specie, quæ est secundum prædicabile, & solùm prædicatur *de differentibus numero*. Per particulam verò *in quid*, differt à tribus alijs prædicabilibus, differentia, proprio, & accidenti: nam illa *in quale quid*, proprium, & accidens *in quale*, genus autem non nisi *in quid* prædicatur: ergo est bona definitio.

5. Tertia conclusio. Hæc definitio non est essentialis, sed descriptiua. Ratio est: quia prædicabilitas de pluribus est passio vniuersalis vt sic: ex eo enim quòd vniuersale sit in pluribus, nascitur, quòd de illis prædicetur: ergo talis prædicabilitas, scilicet de pluribus differentibus specie in quid, erit passio talis vniuersalis, nempe generis: & per consequens, definitio, quæ traditur per illam, erit descriptiua.

§. II.

An definitum huius definitionis sit natura, quæ denominatur genus; vel secunda intentio generis à qua denominatur?

6. SVPPONO, aggregatum ex natura, & secunda intentione non esse definitum huius definitionis, quia est ens per accidens, ex duobus entibus in actu compositum, nempe ex natura, & secunda intentione: ens autem per accidens non habet vnam essentiam, sed duplicem: & ideo non potest per vnam definitionem explicari. Quæstio ergo est, quænam ex duabus prædictis sit definitum.

7. Est duplex opinio. Prima tenet, definitum huius definitionis esse naturam vt subijcitur secundæ intentioni, non verò intentionem ipsam. Ita Auersa q. 8. log. sect. 2. & alij recentiores; quorum ratio est: quia natura vt subijcitur intentioni & non intentio ipsa est, quæ prædicatur de pluribus differentibus specie: secunda enim intentio non prædicatur de multis, sed solùm est ratio quare natura prædicetur: ergo natura vt subiecta intentioni, & non ipsa intentio est definitum in hac definitione.

8. Sed hæc sententia est falsa: quia licèt natura sit id, quod prædicetur de pluribus, hoc tamen conuenit illi accidentaliter, etiam prout subijcitur secundæ intentioni: ergo non potest esse definitum; quia definitio debet cõuenire definito essentialiter, si sit quidditatiua; aut tanquam propria

propria passio, si sit descriptiua. ¶ Confirmatur quia prædicationes, in quibus propriæ passiones in concreto significatæ prædicantur de propria essentia, quæ est earum subiectum, vt *Homo est risibilis*, & similes, sunt accidentales, quantumuis ratio subiecti in illis reduplicatur dicendo. *Homo inquantum subiectum risibilitatis est risibilis*: ergo similiter, quantumcunque dicatur, *Natura vt subsistat generali tip. edicatur de pluribus differentibus specie*, semper propositio erit accidentalis, quia intētio generis est prædicatum accidentale respectu naturæ: & in his reduplicationibus non reduplicatur aliquid spectans ad formam, sed subiectum.

9. Secunda opinio asserit, definitum in definitione generis esse secundam intentionem vt connotat naturam; ita vt ipsa secunda intentio sit res definita, natura verò subiectum, in quo exercetur definitio. Hanc sententiam tenent Thomistæ omnes, inter quos videri possunt Sotus hic quæst. vnic. art. 1. Collegium Complut. disp. 5. q. 3. & Ioannes à S. Th. q. 7. art. 2. & mihi videtur vera.

10. Prima conclusio. Definitum huius definitionis est secunda intentio, non autem natura. Probatur, quia quando nomen accidentis in concreto definitur, significatum formale est, quod illic definitur, ratione cuius definitio conuenit significato materiali: v. g. quando definitur *album esse disgregatiuum visus*, definitur illic albedo, ratione cuius conuenit niui disgregare visum: sed genus est nomen concretum accidentale: ergo illa definitione definitur secunda intentio, quæ est eius significatum formale, ratione cuius conuenit naturis prædicari de pluribus.

11. Secunda conclusio. Quamuis definitum huius definitionis sit secunda intentio, definitio tamen vt *quod* conuenit naturæ, secundæ verò intentioni tantùm vt *quo*. Probatur ab exemplo posito; nam quando album definitur *esse disgregatiuum visus*, licèt res, quæ definitur, sit albedo, non tamen definitur tanquam quod disgregat, sed tanquam ratio disgregandi: quod tamen disgregat, est nix, quæ ratione albedinis disgregat visum: ergo eadem ratione quamuis in definitione generis definitur secunda intentio, non tamen tanquam id, quod prædicatur, sed tanquam ratio, qua naturæ prædicantur: ergo dicta definitio naturæ conuenit vt *quod*, & secundæ intentioni tantùm vt *quo*.

12. Dices: Definitio debet conuenire vt *quod* suo definito, & non vt *quo*: ergo si prædicari de pluribus secundæ intentioni tantùm conuenit vt *quo*, & naturis vt *quod*, natura, & non secunda intentio, erit definitum huius definitionis. ¶ Respondetur solùm in definitione perfecta necessariò assignandum esse definitum, cui vt *quod* conueniat definitio: quia ibi explicatur tantùm natura definiti, & nihil aliud connotatur: ac proinde eadem res, est quam significat, & pro qua supponit nomen definiti. At verò cum definitiones cōcretorum accidentalium degenerent à perfectione definitionis, propterea quod nomen concretum significat vnam rem, & supponit pro alia, inde fit, vt in huiusmodi definitionibus, præter rem illam, quæ est definitum, fiat suppositio pro re, in qua exercetur ipsa defini-

finitio; & per consequens quòd tota definitio non possit conuenire vt *quod*, sed tantùm vt *quo* ipsi rei, quę definitur. Sic enim simul explicatur essentia accidentium, quæ tantùm est, esse principium *quo* suorum effe-ctuum: & innuitur tales effectus exerceri in subiectis eorum; qui est proprius modus definiendi concreta accidentium quatenus concreta sũt. ¶ Ex dictis patet solutio ad fundamentum contrariæ sententiæ.

§. III.

An genus prædicetur de specie vt totum, vel pars illius?

13. NOTO, duobus modis considerari genus; primo vt partem actualem componentem speciem simul cum differentia: secundo vt totum potentiale, contrahibile per differentias. Consideratum vt pars actualis, excludit differentiam, quia si eam includeret, non posset cum ea componere speciem, cum componentia distincta esse debeant, & non se includentia. Consideratum verò vt totum potentiale, significat naturam superiorem abstractam abstractione vniuersali ab inferioribus, & contrahibilem per illa: & ita animal verb. gr. accipitur vt totum potentiale, non quatenus significat principium sentiendi præcise, excludẽdo principium ratiocinandi (sicut quando accipitur vt pars) sed prout significat ipsum principium sentiendi, seu ipsam naturam sensitiuam prout est contrahibilis per hominẽ & brutum; ac proinde vt sic continet in potentia rationale, & irrationale. Quærimus ergo in pręsenti §. quonam ex his duobus modis genus prædicetur de specie.

14. Super qua difficultate sunt duę sententiæ. Prima tenet, genus tanquam partem prędicari de specie. Ita Sanchez lib. 3. q. 6. & alij; quorum fundamentum est: quia hęc est differentia inter prędicationem generis, & speciei, ab omnibus cõcessa, quòd prędicatio speciei est completa, prędicatio verò generis incompleta: ergo genus prędicatur tanquam quid incompletum de specie: sed incompletum est pars: ergo prędicatur vt pars.

15 Secunda sententia è contra asserit, genus non prędicari de specie, vt partem, sed vt totum. Ita Sotus quęst. citat. art. 2. Masius q. 4. sect. 2. Colleg. Complut. disp. 5. q. 5. Mailhat disp. 2. sect. 1. §. 3. & alij. Estque expressa S. Thomę de ente, & essentia cap. 3. vbi sic ait: *Si animal non esset totum, quod est homo, non prædicaretur de eo, cum nulla pars prædicetur de suo toto.* Et hęc sententia non solùm est probabilior, sed vera. Et probatur efficaciter; quia vt prędicatio aliqua sit vera, non sufficit quòd prędicatum includatur in subiecto; sed requiritur, quòd contineat quidquid continet subiectum: sed genus vt pars non continet quidquid continet species, benè tamen vt totum: ergo genus non potest prędicari de specie vt pars illius sed vt totum. Minor patet ex notando facto. Maior verò probatur ex sensu ipsius propositionis, per quam significatur, hoc esse illud; quod nõ potest esse verum, nisi totum, quod continet subiectum, contineat prędicatum; nam si aliquid subiecti nõ continet, non erit verum ex parte illius esse illud. Et hęc est ratio propter quam nulla pars prędicari potest de toto: quia ratione alterius partis, quam

quam totum dicit, non potest esse verum, totum esse partem, vt hominem esse caput.

16. Ad fundamentum autem oppositæ sententiæ respondetur, quòd prædicatum ex duplici parte potest esse incompletum: & ex parte eius, quod prædicat de subiecto; & ex modo, quo illud prædicat: & in primo sensu incompletè genus prædicatur de specie, quia tantùm prędicat naturam sensitiuam, quæ est pars speciei. Sed ex parte modi cõpletè prædicatur, quia eandem naturam sensitiuam prædicat, non per modum partis, sed per modum totius.

§. IIII.

An modus prædicandi in quid, separet genus à differentia?

17. PARS negatiua suaderi potest; quia modus prædicandi sequitur modum essendi: sed differentia habet modum esſendi perfectiorem in compositione speciei, quàm genus, cum se habeat tanquã forma, & genus vt materia: ergo habebit modum perfectiorem prædicandi: sed modus perfectior prædicandi, est prædicari in *quid*: ergo hoc modo potiùs, quàm in *quale* prædicabitur. Probatur minor; quia modus prędicandi in *quid*, est proprius substantiæ, & modus prædicandi in *quale*, est proprius accidẽtis: ergo perfectior modus est, prædicari in *quid*, quàm in *quale*.

18. Communis tamen sententia Porphyrij, & omnium interpretum eius est, quòd genus distinguatur à differentia, ex eo quòd illud prædicatur in *quid*, hæc verò in *quale quid*. Quam sententiam etiam docet Aristoteles lib. 4. Topic. c. 6. loc. 18. & probatur ratione: quia genus prædicatur de specie per modum substantiæ, hoc est per se stantis, cuius euidens signum est, quòd nomine substantiuo significatur: sed modus prædicandi in *quid*, est proprius substantiæ, quæ est quidditas rei: ergo prædicatur in *quid*. Differentia verò prædicatur per modum formæ, qui non est rei per se stantis, sed inhærentis materiæ: ergo non prædicatur in *quid*, ac proindè in *quale*, non simpliciter, quia ad essentiam rei pertinet, sed cum addito, hoc est in *quale quid*: & in hoc distinguitur à genere.

19. Ad argumentum contrarium respondetur, distinguendo maiorẽ; nam modus essendi dupliciter sumi potest, secundùm se, vel vt concipitur à nobis: & ab eo hoc modo sumpto accipitur modus prædicandi, quia non prædicantur res, vt sunt à parte rei, sed vt tali modo cognoscuntur: & licèt secundùm primam considerationem, perfectior sit differentia, quàm genus, ex modo tamen posteriori, perfectiorem modũ prædicandi habet hoc, quàm illa, per quem distinctũ prædicabile constituit.

DVBIVM SECVNDVM.

De Specie.

20. SPecies sub genere immediatè collocatur, & ab eo simul cum differentia constituitur: includit modo substantiali totam perfectionem essentialem rei; vt species humana totam perfectionem essentialem hominis. Duabus definitionibus definitur à Porphyrio hic cap.

3. Prima talis est: *Species est, quæ subijcitur generi, & de qua genus in in quid prædicatur*. Per quam explicatur species secundùm habitudinẽ, quam habet ad genus, à qua dicitur species subijcibilis. Secunda definitio est: *Species est, quæ prædicatur de pluribus differentibus numero in quid*. Per quam explicatur species secundùm habitudinem, quam habet ad indiuidua, & vt est secundũ prædicabile. Vt igitur quidditatem speciei cognoscamus, has definitiones examinare oportet.

§. I.

An prima definitio sit vna, vel duplex.

21. PRima opinio est Soti asserentis, primam definitionem, qua dicitur speciem esse, quæ subiicitur generi, & de qua genus in quid prædicatur, non esse duplicem, sed vnam tantùm: quia eundem respectum explicat: nam idem est subijci generi, & genus prędicari de illa.

22 Secunda verò opinio, quæ probabilior est, docet esse duplicem definitionem: ita vt vna sit, *species est, quæ subijcitur generi*. Et altera, *species est, de qua genus prædicatur in quid*. Ita Ruuius in præsenti q. 1. Colleg. Complut. disp 6. q. 1. & alij, quos dictum Collegium citat. Probatur efficaciter, quia species vt subijcitur generi, habet duas rationes formales diuersas: ergo non vna, sed duabus definitionibus debuit explicari. Consequentia est euidens, quia vna definitio vnam tantùm rationẽ formalem explicare potest. Antecedens verò probatur; quia in genere diuersæ rationes formales sunt, esse vniuersale, hoc est, vnum in multis speciebus, & esse prædicabile de illis: & ratio vniuersalis prior est & essentialis illi: ratio verò prędicabilis posterior, & propria passio eius: & sub vtraque ratione respicit speciem: ergo etiam in specie debent correspondere diuersæ rationes formales: nempè esse subiectum, in quo est genus: & esse subiectũ, de quo prædicatur: ità vt illa sit prior & quasi essentialis speciei, vt subijcibili: hęc verò posterior, & quasi propria passio eius: sed diuersæ illæ rationes formales in genere, explicantur diuersis definitionibus, nempè vnum in multis speciebus: & prædicabile de illis: ergo etiam diuersæ rationes ex parte speciei, debent explicari per diuersas difinitiones. Et ita factum est à Porphyrio, qui per illa verba, *species est, quæ subijcitur generi*, explicuit speciem subijcibilem, vt est subiectum, in quo est genus; & per illa alia, *de qua genus in quid prædicatur*, explicuit eandem specię subijcibilem, vt est subiectum de quo prædicatur. ¶ Ex his duabus, definitionibus, prima est essentialis, secunda verò descriptiua: quia prima traditur per rationem essentialem, vel quasi essentialem speciei subijcibilis; secunda verò per propriam passionem, vel quasi propriã passionem illius. ¶ Ex dictis solutum manet fundamentum Soti.

§. II.

An secunda definitio distinguat speciem à genere?

23. RATIO dubitandi est, quia etiam genus prędicatur de pluribus differentibus numero, vt concedit Porphyrius loco citato; & patet in his prędicationibus: *Petrus*

est animal, *Franciscus est animal*, *Ioannes est animal*; in quibus animal, quod est genus, prędicatur de Petro, Ioanne, & Francisco, qui solùm differunt numero: ergo species non differt à genere per hoc quòd *sit prędicabilis de pluribus differentibus numero*: & consequenter hęc definitio non est bona, quia nō distinguit secundum prædicabile à primo.

24. Propter hoc argumentum sunt variæ opiniones ad explicandū quomodo prædicta definitio conueniat speciei, & eam distinguat à genere. Prima est Alberti Magni tract. de prædicabilibus cap. 1. asserentis, quòd particulę illæ, *prædicari de pluribus differentibus numero*, in hoc sensu intelliguntur à Porphyrio, vt species per seipsam immediatè prædicetur de indiuiduis: genus verò non per seipsum, aut immediatè, sed mediante specie. Vnde hæ particulæ sic intellectæ, sufficienter distinguunt speciem à genere. Ratio huius sententiæ est; quia species per se componitur ex genere, & differentia: & ideo per seipsam participat naturam generis; indiuidua verò non componuntur per se ex genere, & differentia, sed solùm participāt naturam generis, quia participant naturam speciei, in qua continentur: ideo enim Petrus est animal, quia est indiuiduum speciei humanæ, compositæ ex natura sensitiua, & rationali.

25. Sed contra hanc sententiam est instantia manifesta. Quia genus immediatè, & per seipsum prædicari potest de indiuiduis: ergo per hoc non distinguitur ab eo species. Probatur antecedens: in his prædicationibus, *hoc animal est animal*, *hoc viuens est viuens*, prædicatum significat naturam sensitiuam in cōmuni, & subiectum eandem naturā singularizatam: sed inter naturam in communi sumptam, & in singulari, nullum potest esse medium: ergo genus prædicatur immediatè de indiuiduis.

26. Dices: in hac prædicatione, *hoc animal est animal*; ly *hoc animal*, demonstrat Petrum ex. gr. nam cum ly *hoc* sit pronomen demonstratiuum, rem aliquam demonstrare debet: ergo hoc animal includit totum id, quod importat Petrus: sed Petrus non solùm importat naturam sensitiuam, sed etiam humanam: ergo animal prædicatur de Petro mediante natura humana, & non immediatè per seipsum.

27. Respond. quòd indiuidua duobus modis considerari possunt. Primo, vt sunt à parte rei: & sic nullum est, quod non contineatur sub aliqua specie, & ea mediante participet naturam genericam. Alio modo, in quantum concipiuntur ab intellectu sub gradu naturæ superioris, non considerato gradu specifico, quem reuera participant, vt si Petrus consideretur sub gradu naturæ sensitiuæ, non considerato gradu rationali, quem participat ab specie humana, in qua acceptione significatur nominè huius animalis. Et sic licèt ly *hoc animal* demonstret Petrum, non propterea debet includere totum id, quod importat Petrus, sed solùm id, quod consideratur in Petro, scilicet naturam tantùm sensitiuam.

28. Secunda opinio est Auicēnę, qui concedit genus per seipsum, & immediatè prædicari de indiuiduis, dicit tamen speciem distingui à ge-

riere; quia solùm de indiuiduis, & non de alijs prædicari potest; genus verò non tantùm de indiuiduis, sed etiam de specicbus. ¶ Hæc tamen sẽtentia nullo modo est ad nittenda; quia si semel concedatur, genus im mediatè prædicari de indiuiduis, sicut speciem; etiam si de speciebus prædicetur: non sequitur, non esse speciem: sed non esse solùm speciẽ, sed etiam genus, cũ definitio vtriusque ei conueniat: ergo per hanc definitionem non distingueretur ab specie.

29. Tertia opinio dicit, quòd species prædicatur de indiuiduis, cõpletè, hoc est, vt totum actuale, & completum, prędicans de illis totam essentiam: genus verò prædicatur incompletè, quia licèt per modum totius potentialis prædicetur, tamen solùm prædicat partem: vt animal non prædicat totam naturam Petri, sed solùm sensitiuam, quæ pars illius est. Et hoc modo intelligi debet Porphyrius, dum distinguit speciem à genere, per prædicari de pluribus differentibus numero.

30. Sed neque hæc opinio placet; quia animal prędicatur per se, & immediatè de hoc, & illo animali, vt ostensum est: ergo natura sensitiua sumitur in his prædicationibus, vt immediatè participata ab eis, & non media aliqua specie: sed genus non sumitur vt totum potentiale, & incompletum, atque contrahibile per differentias, nisi in quantum per illas descendit ad species; ergo nec prædicatur incompletè, nisi de speciebus, aut de indiuiduis eius; Indiuidua autem generica non sunt Indiuidua speciei, sed generis, & ideo de eis non incompletè, sed completè prædicatur.

31. His igitur reiectis opinionibus vera sententia docet, quòd quãdo genus v. g. animal prædicatur de hoc, & illo animali, in his, & similibus prædicationibus, genus non prædicatur vt genus, sed vt species, quia in his prædicationibus natura generica significatur, vt completa ex genere, & differentia, immediatè determinata ad indiuidua per differentias indiuiduales proprias illius naturæ. Genus enim vt genus non cõtrahitur immediatè per differentias indiuiduales, sed specificas: si ergo concipitur contractum immediatè per differentias indiuiduales, formaliter non concipitur tanquam genus, sed tanquam species: & consequenter nec prædicatur de illis prædicatione generis, sed speciei. Ex quo fit, quòd formaliter non genus, sed species prædicatur immediatè de indiuiduis; & sic benè fuit exclusum à Porphyrio à definitione speciei per illas particulas, *quod prædicatur de pluribus differentibus numero*. Ita Complut. quæst. cit. in responsione ad primum. Ruuius q. 5. Arriaga disp. 7. sect. 1. subsect. 6. Ouiedus contr. 4. punct. 4. noster Stephanus Spinula disp. 7. sect. 2. difficult. 2. & alij.

§. III.

Vtrum species subijcibilis vt subijcibilis sit vniuersalis?

32. AFFIRMAT Toletus cap. de specie quæst vnic. in solutione ad primum. Quæ sententia probari potest primò, quia vniuersale est genus ad quinque prædicabilia: ergo quodlibet prædicabile participat naturam vniuersalis: sed species

cies respectu generis sunt subijcibiles: ergo prędicabilia vt species subijcibiles, sunt vniuersales. Secundò, quia species subijcibilis vt subijcibilis est, non est natura singularis sed abstracta à singularibus: natura verò abstracta communis est multis: ergo est vniuersalis. Et tertiò, quia quod subijcitur immedite generi, est vniuersale; singularia enim non nisi mediatè illi subijciuntur: atqui species subijcibilis, est id quod immediatè subijcitur generi: ergo species qua subijcibilis est vniuersalis.

33 Dicendum tamen est, speciem subijcibilem vt subijcibilem nō esse vniuersalem. Ita Ruuius in præsenti q. 2. Complut. disp. 6. q. 3 Mailhat disp. 2. sect. 3 § 1 & alij communiter. Probatur facilè, quia natura non est vniuersalis formaliter, nisi quatenus comparatur ad sua inferiora: sed natura specifica vt est subijcibilis formaliter, non comparatur ad inferiora, quia vt subijcibilis non respicit indiuidua, sed genus: ergo natura specifica quatenus subijcibilis formaliter, non est vniuersalis.

34. Ad primum respondetur, quinque vniuersalia, quatenus species subijcibiles, & respiciunt suum genus, nempe vniuersale, materialiter tantùm esse vniuersalia; quia sunt naturæ quæ suscipere possunt secundam intentionem vniuersalis; non verò formaliter, quia respectu eius non exercent vniuersalitatem.

35. Ad secundum concedo speciem vt subijcibilem, non esse naturam singularem, sed abstractam: nego tamen quòd sit vniuersalis formaliter; ad hoc enim vt natura sit vniuersalis formaliter, non sufficit quòd sit abstracta, sed vltra requiritur, quòd dicat ordinem ad singularia, & referatur ad illa: species autem vt subijcibilis est quidem natura abstracta, sed non refertur ad indiuidua, sed ad genus.

35. Ad tertium denique respondeo, quòd quando dicitur. *Illud quod immediatè subijcitur generi, est vniuersale*; intelligitur materialiter: & sensus est, illam rem, quæ immediatè subijcitur generi, debere esse naturam, quæ denominari possit vniuersalis, non formaliter prout subijcitur, sed aliàs.

§. IV.

Quomodo in specie se habeant subijcibilitas, vniuersalitas, & prædicabilitas?

37 CAietanus cap. de specie, quē sequitur Araux. lib. 3. met. q. 4. art. 3. concl. 3. asserit, subijcibilitatem in specie se habere vt essentiam, à qua tanquam passiones oriuntur vniuersalitas, & prædicabilitas. Cuius fundamentum est: quia species formaliter quatenus species, solùm respicit genus, itaut hoc sit maximè proprium speciei: ex eo autem quòd sit sub genere, consequens est habere sub se indiuidua, & illa respicere.

38. Sed hæc opinio falsa est, quod sic ostendo. Vniuersalitas, & prædicabilitas, sunt respectus naturę ad inferiora; subijcibilitas verò est respectus eiusdem ad superiora: ergo respectus iste oppositus est illis: sed vnum oppositorum non potest procedere ab alio, tanquam propria passio ab essentia: ergo vniuersalitas, & prædicabilitas non procedunt à subijcibilitate, tanquam ab essentia.

39. Dico igitur primò, Vniuersali-

salitatem, & prædicabilitatem se habere tanquam essentiam, & propriã passionem. Hæc conclusio patet ex dictis; nam prædicabilitas vt sic, est passio vniuersalis vt sic: ergo talis prædicabilitas est passio talis vniuersalis.

40. Dico secundò, Subijcibilitatem, & vniuersalitatem seu prædicabilitatem in specie nullum habere ordinem inter se, sed esse rationes omnino disparatas. Ita Complut. loc. cit. & alij apud ipsos. Probatur; quia isti respectus conueniunt naturę, ex eo quòd intellectus comparet illam ad diuersos terminos: sed vna harum comparationum non dependet ab alia: ergo nec ipsi respectus inter se, & consequenter sunt disparati. Probatur minor, quia ex eo quòd intellectus comparet speciem ad genus, ipsa non manet magis apta vt comparetur ad indiuidua, quàm si nullo modo precessisset prima comparatio, vel è contra, vt patet ergo vna istarum comparationum non dependet ab alia.

41. Confirmatur, quia ideo prędicabilitas est passio vniuersalis, quia ex eo quòd intellectus comparet naturam ad inferiora, vt quid in illis existens, natura redditur vltimò disposita vt comparetur ad eadem inferiora, tanquam quid de illis prędicabile; sed hoc non inuenitur in pręsenti, ergo, &c.

42. Ad fundamentum autem Caietani respondetur, quòd si speciẽ sumamus fundamentaliter pro natura specifica, quę denominatur à secundis intentionibus, sic accidentalis est illi, tam subijcibilitas, quàm vniuersalitas, aut predicabilitas. Si verò loquamur de ipsis intẽtionibus inter se comparatis, neutra oritur ex alia, nec necessariò supponit illam; sed sunt disparatę, vt ostensum est. Ambę tamen insunt ipsi naturę specificę; & sic species quatenus species, non habet solùm respicere genus, nec solùm indiuidua, sed vtrumque.

§. V.

De Natura Indiuidui.

43. CVM propria inferiora speciei, ipsique correlatiua sint indiuidua, vt perfectè natura huius secundi prędicabilis explicetur; aliquid breuiter de indiuiduo subiungẽdum est. Indiuiduum autem duobus modis accipi potest, sicut & ipsa species, nempe *primo intentionaliter*, & *secundo intentionaliter*. Sumptum *primo intentionaliter*, est quęlibet natura singularis, siue sit substantialis, siue accidentalis: vt Hęc albedo, Hic homo, Petrus, Bucephalus, & huiusmodi. Acceptum verò *secundo intentionaliter*, est eadem natura singularis; quatenus media intellectus operatione dicit relationem subijcibilitatis ad speciem, vel prędicabilitatis ad seipsum.

44. Indiuiduum primo intentionaliter definitur à Porphyrio cap. de specie sic: *Indiuiduum est, cuius collectio propietatum sic est in vno, vt nunquam in alio fiat.* Hęc autem collectio propietatum, quę ita est in vno indiuiduo, vt in altero reperiri non possit, explicatur à Dialecticis his versibus.

Forma, figura, locus, tempus, cum nomine, sanguis,
Patria, sunt septem, quæ non habet vnus, & alter.

45. Per *Formam* intelligitur singularis complexio. *Figura* verò signi-

gnificat partium proportionem, & delineamenta. *Locus*, eam partem terræ, vrbis, vel domus, vbi quis natus est. *Tempus* verò, ipsius generationis momentum; ad quod etiam spectat propria constellatio, seu sydcrum aspectus, sub quo natus est. *Nomen*, quod cuique imponitur. *Sanguis*, prosapiam. Et tandem *Patria* prouinciam significat. Quæ omnia simul sumpa nō possunt duobus conuenire, vt de se patet.

46. Hæc autem definitio, vt benè notat Sotus, solùm conuenit indiuiduis substantiæ: nam hæc intēdebat Porphyrius præcipuè definire.

47. Indiuiduum verò *secundò intentionaliter* sumptum vt subijcibile, definitur sic: *indiuiduum est id, quod subijcitur speciei*; vel *de quo species prædicatur*. Acceptum autem vt prædicabile, sic: *indiuiduum est, quod de vno tantùm prædicatur*. Vnde istæ sunt propriæ prædicationes indiuidui, *Petrus est hic homo*, *Hic homo est Paulus*, & sic de alijs.

48. Circa has definitiones nota, eodem modo, quo in definitione generis, & aliorum prædicabilium diximus, definitum esse secundam intentionem in concreto signi-ficatam; ita vt ipsa secunda intentio sit res, quæ definitur; natura verò, pro quo supponit, & in quo exercetur definitio; sic etiam philosophandum esse in his definitionibus indiuidui *secundo intentionaliter sumpti*. Itaquè definitum erit secunda intentio, à qua res denominatur indiuidua, & singularis: naturæ verò particulares erunt id, pro quo supponit, & in quo exercetur definitio.

49. Contra vltimam definitionē est vnicum argumentum; nam indiuiduum verè prędicatur de pluribus: ergo falsum est, quòd de vno tantùm prędicetur. Probatur antecedens: quia hę sunt verę prędicationes: *Petrus est indiuiduum, Paulus est indiuiduum*: ergo indiuiduū verè prædicatur de pluribus. ¶. Respondetur in his prædicationibus tātùm prædicari secundam intentionem, quæ est omnibus communis, & quid vniuersale, non verò naturam particularem: & propterea prędicationes adductę non sunt prędicationes indiuidui, sed pertinent ad quintum prędicabile.

DVBIVM QVARTVM.

De Differentia.

50. **D**Ifferentia diuiditur hic à Porphyrio cap. 3. in communem, propriam, & proprijssimam. Differentia communis est illa, qua aliqua differunt accidēte cōmuni; vt albedo Petri, est differentia communis, qua differt Petrus albus à Ioanne nigro. Differentia propria, est qua differunt aliqua accidente inseparabili; vt albedo Cygni, per quam differt à coruo. Proprijssima tandèm differentia vocatur illa, per quam distinguuntur aliqua specie; vt rationale, per quod differt homo à leone.

51. Hęc autem differentia proprijssima definitur ab eodem sic: *Differentia est, quæ prædicatur de pluribus, & differentibus specie in quale quid*. Probat autem, differentiam predicare in *quale quid*: quia ad quęstionem factam de specie per *quid*, propriè respondemus per genus: ad quęstionem verò factam per *quale*,

quale, non minùs propriè per differentiam. Vt si inquiratur, *quid sit homo*? propriè respondemus, esse *animal*? Si verò *quale animal*? non minùs propriè dicimus, esse *rationale*. Ergo genus prędicatur in *quid*, & differentia in *quale*, non quidem absolutè, quia non est qualitas accidentalis, sed pars essentialis speciei: & ideo prędicatur in *quale* addito *quid*; vt denotetur prędicari in quale essentiali.

§. L.

An diuisio differentiæ in communem, propriam, & proprijssimam sit sufficiens?

52. PARS negatiua suadetur; quia duobus modis intelligi potest, insufficientem esse aliquam diuisionem: vel quia aliquod mēbrum ei deficit, aut quia aliud cōtinet superfluum: atqui hęc diuisio habet vtrumque defectum: ergo est insufficiens. Probatur minor, & *primò quòd aliqua membra contineat, quæ sub diuiso nō contineantur*. Quia diuisum huius diuisionis est tertiū prędicabile: sed differentia communis, & propria non pertinent ad tertium prędicabile, sed ad quartum, vel quintum: ergo non continentur sub diuiso. Probatur minor; quia differentia communis, & propria sunt accidens separabile, & inseparabile; sed hęc pertinent ad quartum, & quintum prædicabile, vt notum est: ergo non possunt pertinere ad hanc diuisionem.

53. Probatur secundò altera pars minoris, *quòd* scilicèt *huic diuisioni aliquod membrum deficiat*. Quia differentia indiuidualis, per quam differt vnum indiuiduum ab altero, nō est communis, nec propria, cum nō sit accidens; nec proprijssima: ergo non continetur sub aliquo membro diuisionis, sed aliud preter illa addendum est. Probatur non esse proprijssimam; quia differentia proprijssima est specifica, vt docet expressè Porphyrius in eadem diuisione: sed indiuidualis non est specifica, vt notum est: ergo nec est proprijssima differentia.

54. Tenendum tamen est, diuisionem hanc sufficientem esse. Ita docent communiter Dialectici; & probatur hac ratione; quia quidquid verè differt ab alio, vel differt secūdùm essentiam, vel secundùm accidentia: si primum, erit differentia proprijssima, seu essentialis: si secūdum, vel est accidens proprium, & sic erit differentia propria; vel est accidens commune, & sic erit differentia communis: ergo hęc diuisio sufficiens est. ¶ Confirmatur quia illa diuisio sufficiens est, cui nullum membrum deest, nec aliquid habet, quod non contineatur sub diuiso: sed talis est hæc diuisio: ergo est sufficiens. Minor probatur soluendo argumentum contrarium.

55. Ad quod neganda est minor; & *ad primam probationem dico*, quòd differentia communis, & propria dupliciter considerari possunt. Primò vt sunt accidentia quędam: & hoc modo pertinent ad quartum, vel quintum prędicabile. Secundò vt faciunt differre vnum ab altero accidenti separabili, aut inseparabili: & hoc modo pertinent ad hanc diuisionem: cuius diuisum non est tertium prędicabile, sed quid vniuersalius, nempe differentia secundùm communem rationem ad essentialem, & acci-

accidentalem; sed tertium prædicabile sola proprijssima constituit. Cæteræ verò explicantur, vt ex earum rationibus magis manifesta fiat differentia proprijssima.

56. Ad secundam verò probationem de differentia indiuiduali respondeo, quòd licèt sit extra essentiã, & ideo non est proprijssima, tamen propter similitudinem, quam habet cum differentia specifica, quia est substantialis, reducitur ad proprijssimam.

§. II.

Vtrum diuisio differentiæ in communem, propriam, & proprijssimam, sit generis in species, aut analogi in analogata?

57. NOTO, quòd in hac diuisione tam diuisum, quàm membra diuidentia sumuntur secũdò intentionaliter. Tum quia nomen *differentiæ*, vt in præsenti sumitur, est terminus secundæ intentionis, sicut genus, species, & alia. Tum etiam quia sic diuisio ista propriè, & per se pertinet ad Logicam, tam ex parte diuisi, quàm ex parte membrorum diuidentium. Et ita sensus diuisionis est: secunda intentio differentiæ alia est, quæ facit differre communiter, alia propriè, & alia propijssimè. In quo sensu inquirimus solùm, an sit generis in species, vel analogi in analogata? quia certum est apud omnes, non esse æquiuocam, cùm membra hujus diuisionis nõ conueniant in sola voce, sicut conueniunt significata nominis ęquiuoci, sed etiam in re significata.

58. Patres Cõplutenses hic disp. 7. q. 1. num. 12. & alij apud ipsos, tenent, diuisionem istam esse analogam. Quorum fundamentum est: quia sola differentia proprijssima est simpliciter differentia, tum quia est eiusdem prædicamenti cum genere, tum etiam quia habet prædicari in *quale quid*: differentia verò propria & communis neq; sunt eiusdem prędicamenti cũ genere, & sic cũ illo nõ possũt cõponere vnũ per se, sed vnũ per accidens; neque habent prædicari in *quale quid*, sed solùm in *quale*, quia non pertinent ad essentiam rei, quam constituunt: vndè solùm secundùm quid sunt differẽtiæ: ergo diuisio differentiæ in prędicta membra, non potest esse vniuoca, sed analoga.

59. Alij verò dicunt, diuisionem hanc esse vniuocam, & generis in species. Quę sententia mihi videtur probabilior; & ratio est; quia non obstante, quòd ex quinque intentionibus prędicabilium, tres priores sint rationes prædicãdi essentialiter, & aliæ duę prædicandi accidẽtaliter adhuc vniuersalitas est quid vniuocũ, & verum genus respectu omnium: ergo etiam si ex intentionibus harum differentiarum, altera faciat differre communiter, alia propriè, & alia propijssimè: adhùc secunda intentio differentiæ erit vniuoca, & genus respectu illarum. Probatur consequentia: quia ideò conuenientia illarum quinque intentionum est vniuoca, quia omnibus verè, & simpliciter conuenit esse rationes prędicandi de pluribus; neque id habet vna per habitudinem, aut dependẽtiam ab alia: sed eodem modo conuenit istis intentionibus esse rationes differendi; siquidem etiam si non daretur differentia proprijssima,

adhuc aliæ essent differentiæ: ergo, &c.

60. Ad fundamentum autem Cõplutensium respondeo, quòd diuisum huius diuisionis, vt § præcedenti diximus, non est differentia constituens hoc tertium prædicabile, sed quid vniuersalius, nempè differentia communis ad essentialem, & accidentalem. Illa autem duo, scilicèt esse eiusdem prædicamenti cum genere, & prędicari in *quale quid*, non sunt propria differentię vt sic, quæ est diuisum, sed solùm differentiæ proprijssimę, quæ est vnum membrum diuidens. Vndè ex defectu eorum non benè arguitur, quòd aliæ differentiæ verè, & simpliciter non participent diuisum.

§. III.

An tradita definitio differentiæ proprijssimæ conueniat etiam differentijs infimis.

61. RATIO dubitandi est, quia ex vna parte ipsa verba definitionis indicant, illam tantùm conuenire differentijs subalternis; quia hę solùm differunt specie; Ex alia verò id non videtur consonum intentioni Porphyrij definientis differentiam, prout est tertium prædicabile, ad quod non solùm pertinet subalterna, sed etiam infima.

62. Propter has rationes super proposita difficultate sunt duæ sententiæ. Prima asserit, Porphyrium tantùm definisse differentias subalternas; tum quia earùm vsus in definitionibus, diuisionibus, & disputationibus frequentior est. Tum etiam quia definitis subalternis, virtualiter athomę definitæ manent, loco illius particulę *specie differentibus*, subrogando *numero differentibus*. Ita Complut. disp. cit. quæst. 3. num. 35. & alij apud ipsos.

63. Secunda verò per oppositum docet, per dictam definitionẽ Porphyrium definisse non solùm differentias subalternas, sed etiam infimas. Et hęc sententia mihi videtur probabilior, quam tenent Caietanus in cap. 3. de differentia, vbi Sotus q. vnic. ad 6. Ioannes à S. Th. q. 10. art. 2. & alij, qui non eodem modo eam explicant. Quidam enim illam sic intelligunt: quòd differentia prædicatur de pluribus differentibus specie, non inter se, sed ab alijs: vt *rationale* prædicatur de Petro, & Paulo, qui licèt inter se non differant specie, differunt tamen specie ab equo, & leone.

64. Hæc tamen explicatio falsa est: non enim plura dicuntur absolutè differre specie, si non differunt specie inter se, sed ab alijs, alioquin etiam dici potest, quòd genericè differunt, quia sicut differunt specie ab alijs, à quibus specie distinguuntur, ita differunt genericè Petrus, & Paulus ab his, à quibus genere distinguuntur. Vndè inciditur in simile inconueniens, quarè solùm Porphyrius in dicta definitione posuerit *de pluribus differentibus specie*, & non *de pluribus differentibus genere*.

65. Secundus modus dicendi est Caietani, qui per non repugnantiã dictam definitionem explicat; asseritque conuenire differentijs athomis; quia ex ipsa ratione differentię non repugnat, prædicari de pluribus differentibus specie.

66. Sed neque hic modus dicendi

di placet. Primò, quia si non repugnat differentię prædicari de pluribus differentibus specie, vel numero, cur Porphyrius posuit solùm de differentibus specie? Deindè, si semel admittimus definitiones per nō repugnantiam rationi communi, in plura deueniemus absurda: iam enim hæc esset bona definitio equi: *Equus est substantia sensibis rationalis*. Nàm licèt equo, quatenus equus est, repugnet esse rationalem; id tamen non repugnat ei quatenùs animal est, vt patet. Et generaliter si hic modus definiendi esset bonus, definitio vnius speciei conueniret alteri; siquidem differentia cōstitutiua vnius speciei non repugnat alteri propter rationem communē, & genericā, sed propter rationē propriam, & specificam. Ergo neque etiam est asserendum definitionem differentiæ subalternæ cōuenire per non repugnantiā differentię infimę.

67. Quòd autem prędicta absurdā sequantur, patet: quia sicut rationale, & hinnibile sunt rationes essentiales oppositæ, sic esse subalternam, & infimam, sunt rationes accidentales oppositę, & repugnantes: ergo si harum oppositio non obstat, quo minus definitio differentiæ subalternæ cōueniat infimis per non repugnantiam; nec etiam oppositio rationum essentialium obstabit, quin definitio vnius speciei possit alteri per non repugnantiam conuenire.

68. Tertia igitur, & vera explicatio desumitur ex textu Porphyrij; dixit enim *differentiam esse, quæ prædicatur de pluribus, & differentibus specie in quale quid*. Ad quid enim interposuit particulam illam, *&*? nisi vt distingueret inter prædicari de pluribus absolutè, & prædicari de differentibus specie; & sic in illa particula *de pluribus*, omnes differentias prædicabiles inclusit, siue athomas, siue subalternas: in illa verò alia, *& differentibus specie* specialiter subalternas indicauit; quasi diceret, differentia est, quæ de pluribus prædicatur in quale quid, etiam si illa plura sint differentia specie. Vndè, vt vides, particula, *&*, æquiualet particulæ *etiam*. Lege Ioannem à S. Th. loc. cit. qui latè explicationem hanc prosequitur.

§. IIII.

Vtrum differentia constitutiua huius tertij prædicabilis, dicatur vniuersalis per ordinem ad speciē, an verò per ordinem ad indiuidua?

69. Prima sententia vtrumque negat, contendens differentiam non constitui in esse vniuersalis, neque per ordinem ad speciem, neque per ordinem ad indiuidua, sed per ordinem ad propria inferiora, vt *rationale* nō constituitur in esse vniuersalis respectu hominis, neque respectu Petri, aut Pauli, sed respectu huius, & illius rationalis. Hanc sententiam absque Auctoribus refert Sanchez lib. 3. q. 28. Et fundamentum eius est: quia vniuersale est correlatiuum particularis: ergo vnumquodque vniuersale habet proprium particulare: sed proprium particulare *rationalis* non est homo, nec Petrus; cùm hi sint correlatiui generis, & speciei: ergo proprium particulare *rationalis* est, hoc aut illud rationale; ac proindè respectu horum constituetur in esse vniuersalis,

uersalis, non verò respectu speciei, & indiuiduorum.

70. Sed hæc sententia falsa est; quia differētia cōstitutiua huius tertij prædicabilis, prædicatur de pluribus in quale quid: sed *rationale* non prædicatur de hoc, & illo rationali in quale quid, sed omninò in quid: ergo respectu illorum non habet rationem differentiæ; & consequenter neque tales prędicationes pertinent ad tertium prædicabile. Maior. & consequentia constat. Minor verò probatur; quia *animal*, quod in se genus est, quando prædicatur de indiuidu s genericis, nempè de hoc, & illo animali, ex modo prædicandi induit conditionem speciei; non alia ratione, nisi quia tunc prædicatur de inferioribus vt tota eorum essentia, quod proprium est speciei: sed quando rationale prædicatur de hoc, aut illo rationali, prædicatur vt tota essentia talium inferiorum: ergo respectu eorum induit conditionem speciei, & prædicatur in quid, etiam si in se differentia sit.

71. Secunda sententia affirmat, differentiam esse vniuersalem per ordinem ad speciem, quam constituit; ita vt hæc prædicatio, *Homo est rationalis*, sit propria huius prædicabilis. Ità tenent Caiet. Sot. & alij cap. *de differentia*. Probatur primò; quia differentia quatenùs talis, est vniuersalis: sed differentia constituitur in esse talis per ordinem ad speciem; siquidem prout sic dicit esse constitutiuam eius: ergo per eundem ordinem ad speciem est vniuersalis.

72. Probatur secundò, quia quodlibet vniuersale constituitur in esse vniuersalis per ordinem ad ea, de quibus immediatè prædicatur: sed differentia immediatè prædicatur de specie, & media specie de indiuiduis: ergo differentia in esse vniuersalis constituitur per ordinem ad speciem, & non per ordinem ad indiuidua. ¶ Confirmatur, quia genus non constituitur in esse vniuersalis per ordinem ad indiuidua, licèt de illis prædicetur, sed per ordinem ad species, non alia ratione, nisi quia de speciebus immediatè prędicatur, non verò de indiuiduis: ergo si differentia immediatè prędicatur de specie, & media specie de indiuiduis, per ordinem ad illam, & non ad hęc constituitur in esse vniuersalis.

73. Probatur tertiò, quia hęc prędicatio, *homo est rationalis*, est prędicatio directa, & formalis: ergò est alicuius prędicabilis: sed non potest esse alterius, nisi differentię, vt patet: ergo differentia verè constituitur in esse vniuersalis per ordinē ad speciem, quam constituit.

74. Hæc etiam secunda sententia est falsa. Quia vniuersale est natura vna dicens ordinem ad plura inferiora; sed species non est quid inferius ad differentiam: ergo differentia non est vniuersalis respectu speciei. Probatur minor; Superius est id, à quo non valet consequentia, vt *est animal*, non valet, *ergo est homo* sed à differentia ad speciem valet cōsequentia, vt *est rationale*, valet *ergo est homo*, & è contra: ergo differentia non est superior respectu speciei.

75. Confirmatur; quia illud est vniuersale, & superius respectu alicuius, quod quando illi communicatur, contrahitur ab illo: illud autē contrahitur ad aliquid, quod per con-

contractionem amittit vniuersalitatem. Atqui differentia per hoc quòd communicetur speciei, non redditur singularis, neque amittit vniuersalitatem, sed potius conseruat eam: ergo respectu illius non est vniuersalis, neque superior.

76. Tertia denique sententia docet, differentiam constitui in esse vniuersalis per ordinem ad indiuidua speciei. Et hæc sententia est vera, quam sequuntur Sanchez lib. 3. quæst. 15 Complut. disp. 7. quæst. 2. Ioannes à S. Th. q. 10 art. 3. Mailhat disp. 2. sect. 2. § 6. & alij recentiores Thomistæ. Et probatur facilè ex dictis: quia quælibet natura constituitur in esse vniuersalis per ordinem ad sua inferiora: sed indiuidua speciei sunt propria inferiora differentiæ: ergo differentia constituitur in esse vniuersalis per ordinem ad dicta indiuidua. Probatur minor quoad omnia; nam in primis differentia respectu indiuiduorum speciei prædicatur in quale, quia prædicatur vt ratio qualificans naturam eorum: & etiam in quid, quia pertinet ad ipsorum essentiam. Denique à differentia ad indiuiduum speciei non valet consequentia, vt *est rationale*, non valet, *ergo est Paulus*. Rursus differentia contracta ab vno indiuiduo, amittit vniuersalitatem, & redditur singularis: ergo differentia est quid superius ad dicta indiuidua; & dicta indiuidua sunt propria inferiora differentiæ.

77. Vnde ad fundamentum primæ sententiæ respondetur, quòd sicut vniuersale non solùm dicit naturam, seu rationem, quæ prædicatur, sed etiam relationem prædicabilitatis ad inferiora; ita particulare non solùm dicit naturam, seu rem, de qua vniuersale prædicatur, sed etiam relationem subijcibilitatis ad superiora: & medijs his relationibus rationis vniuersale, & particulare sunt correlatiua. In hoc ergo sensu verum est, vnumquodque vniuersale habere proprium particulare: quia nimirum vnumquodque vniuersale respicit inferiora habentia peculiarē relationem subijcibilitatis ad ipsum. Vnde eadem res v g. *Petrus* vt relatione subijcibilis respicit totam essentiam, est proprium particulare speciei; vt verò alia relatione subijcibilis respicit constitutiuum suæ essentiæ, est proprium particulare differentiæ; vt verò alia relatione respicit naturam quandam profluētem à sua essentia, est proprium particulare proprij; & sic de alijs. Quo fit, diuersa vniuersalia petant diuersa particularia, non materialiter, & in esse rei, sed formaliter, & in esse subijcibilis.

78. Ad argumenta verò secundæ sententiæ. Ad primum, & secundum dico, quòd differentia in ratione cōstitutiui respicit speciem per modū differentiæ metaphysicæ; non in ratione vniuersalis, & differentiæ logicæ: sic enim correlatiuum eius sūt inferiora, de quibus quatenus vniuersalis, & non de specie, immediatè prædicatur. Ad tertium respondeo, non omnes prædicationes directas pertinere ad quinque vniuersalia, sed solùm illas, in quibus maiora de minoribus prædicantur. Vnde illa prædicatio, *homo est rationalis*, est tertij prædicabilis, quasi materialiter, & metaphysicè; non formaliter, & logicè; prædicatur n. de homine illa res, quæ est tertium prædicabile, non tamen sub formalitate & relatione tertij prædicabilis, seu ter-

tertij vniuersalis, & sic est magis tertium prædicatum, quàm tertium prædicabile.

DVBIVM QVARTVM

De Proprio.

79. Porphyrius *in cap. de proprio* quatuor acceptiones, seu modos proprij tradidit. Primo modo accipitur proprium pro eo, quod conuenit alicui speciei soli, non tamen omnibus indiuiduis eius: vt esse Medicum, aut Philosophum, proprium hominis dicitur: quia soli homini conuenit: licèt non omni homini conueniat. Secundo modo accipitur pro eo, quod conuenit omni indiuiduo alicuius speciei, non tamen soli, sed etiam indiuiduis aliarum: vt esse bipedem, vel duos habere pedes, omnibus hominibus ex propria natura conuenit, non tamen solis, sed quibusdam etiam alijs animalibus aliarum specierum. Tertio modo accipitur pro eo, quod conuenit alicui speciei soli, & omnibus indiuiduis eius, non tamen omni tempore, sed quodam determinato: vt canescere conuenit omnibus, & solis hominibus, verùm non semper, sed solùm tempore senectutis. Quarto modo accipitur proprium pro eo, quod conuenit alicui speciei soli, & omnibus indiuiduis eius, non pro determinato tempore, sed semper: vt Risibile conuenit soli homini, omni homini, & semper; quia licèt non semper homo rideat, semper tamen habet aptitudinem ad ridendum, & ideo semper est risibilis.

80. Ex his solum quartum constituit hoc prædicabile; quia ratio quarti prædicabilis consistit in hoc, quod prędicetur in quale necessariò accidentaliter; per hoc enim distinguitur à reliquis prędicabilibus, per ly *in quale* à genere, & specie, per ly *accidentaliter*, à differentia, quę est quale essentialiter, per ly *necessariò* ab accidente communi, quod est quintum prędicabile. Istę autem cōditiones solùm conueniunt proprio quarto modo accepto, vt consideranti patet.

81. Dices: canescere tempore senectutis conuenit hominibus necessariò, & non alijs: ergo non solum proprium quarto modo acceptum, sed etiam tertio modo sumptum, constituit hoc prędicabile. Respondetur, quòd licèt canities soli homini conueniat tempore senectutis, nō tamen dimanat ab essentia specifica eius, sed ex complexione particulari hominum, & ex alijs causis extrinsecis illo tempore concurrentibus: & ideo non ad quartum prędicabile, sed ad quintum pertinet.

82. Proprium igitur constitutiuū huius prædicabilis, duabus definitionibus definitur; vna, esse *id, quod conuenit omni, soli, & semper*; altera, esse *id, quod prædicatur de pluribus in quale necessariò*. Vtraque definitio explicata manet ex dictis. Prima conuenit proprio metaphysicè, seu primò intentionaliter sumpto; secūda verò conuenit ei logicè, seu secundò intentionaliter accepto.

83. Contra primam definitionem est vnica instantia, nam Deus separare potest propriam passionem à subiecto, imo plures propriæ passiones naturaliter impediri possunt, vt motus deorsum in lapide, frigus in aqua, & similes: ergo particula illa

illa *semper* malè ponitur in definitione proprij.

84. Respondetur quòd in definitione proprij, quod conuenit semper, ly *conuenit* non dicit existere, vel adesse subiecto; sed ly *conuenit* est idem, quod *debetur*, seu postulatur à subiecto, licèt non semper actu existat in eo. Et ita intelligitur D. Th. in q. de spiritualibus creaturis art. vlt. ad 7. vbi dicit, quòd subiectum esse sine propria passione, non est intelligibile. ¶ Ad illud autem de impedimento naturali passionum, dico quòd licèt omnes passiones dimanent à subiecto, sed non omnes eodem modo. Quædam enim dimanant absolutè, sicut risibilitas, & intellectus ab homine. Aliæ dimanãt supposito aliquo statu cõnaturali, vt lapidi conuenit quiescere non absolutè, sed in centro; nec moueri absolutè, sed extra centrum: & gratiæ in statu consummato habere lumen gloriæ, in statu viæ fidem, & spem: & aquæ habere frigus: ac denique graui conuenit moueri per medium non impeditum, sed liberum. Dico ergo has passiones impediri posse naturaliter, quia non dimanant à subiecto absolutè, sed supposito aliquo statu, vel aliquo extrinseco. Primæ verò quæ absolutè dimanant à subiecto, eo posito non possunt impediri naturaliter.

85. Circa inferiora huius quarti prædicabilis breuiter dico, ea esse indiuidua speciei, cum qua conuertitur. Et ratio est: quia proprium respectu suorum singularium, v. g. risibilitas ad hanc, & illam risibibilitatem est quidem superius, & vniuersale, sed non in quale, sed in quid, sicut species, respectu indiuiduorũ. Accidens enim propriũ etiam habet suam quidditatem, & naturam, quã prædicat de suis inferioribus. Respectu autem speciei, seu naturæ à qua dimanat proprium, sumptæ in communi, prædicatur quidem in quale, sed non vt superius; sed vt æquale, & conuertibiliter; vnde respectu eius non est vniuersale formaliter, cum respectu illius non sit superius. Restat igitur vt sit vniuersale formaliter respectu indiuiduorũ ipsius speciei, respectu quorum est superius, & prædicatur in quale necessariò, vt patet in his prædicationibus; *Petrus est risibilis, Paulus est risibilis*, & similibus.

DVBIVM QVINTVM

De Accidente.

86. DVPLEX est accidens, aliud prædicamentale, aliud prędicabile. Accidens prædicamentale contraponitur substantiæ, & dicitur *ens in alio*. Accidens verò prædicabile contraponitur prædicato essentiali, & est quidquid non conuenit essentialiter, vel necessariò subiecto. Et de hoc loquimur in prįesenti, primum enim spectat ad Metaphysicos.

87. Definitur autem huiusmodi accidens à Porphyrio sic: *Accidens est, quod adest, & abest sine subiecti corruptione.* Super qua definitione est prima difficultas, an per eam definiatur accidens primò intentionaliter sumptum, vel secundò intentionaliter acceptum? Aliqui hoc secundum affirmant, quorum ratio est; quia adesse, & abesse à subiecto sine eius corruptione conuenit accidenti per intellectum, & non in re, vt manifestum est in accidente insepa-

rabili.

rabili: ergo per hanc definitionem non definitur accidens, nisi secundò intentionaliter sumptum.

88. Nihilominus dicendum est, intentionem traditam conuenire substrato, seu primę intentioni huius quinti prędicabilis, nō autem secundę intentioni. Et probatur; quia id, quod explicat hęc definitio, conuenit accidenti prout est in re: ergo per hanc definitionem definitur substratum huius quinti prędicabilis, & non ipsum quintum prędicabile secundò intentionaliter sumptum. Probatur antecedens; quia verba illa, *adest, & abest sine subiecti corruptione*, nihil aliud significant: quàm contingentiam accidentis, & idemnitatem subiecti in sua quidditate; non verò inhęrentiam, & non inhęrentiam in subiecto, Hoc enim soli accidenti prędicamentali conuenit: Sed in re accidens ita conuenit subiecto, vt abesse possit sine corruptione quidditatis subiecti, quidquid sit de eius indiuiduatione: ergo quod explicat hęc definitio, cōuenit accidenti in re, & non prout est in intellectu.

89. Dices, iuxta hanc doctrinam non distinguitur accidens à proprio, siquidem etiam accidens proprium potest separari ab essentia sine corruptione ipsius quidditatis. ¶ Resp. quòd est magna differentia inter accidens proprium, & commune; nam accidens proprium radicatur in essentia, & emanat ab essentia: & ita licèt propria passio separari possit ab essentia, non tamen conuenientia ad illam, vt dub. prec. num. 84. diximus. Cęterum accidens commune non sumitur respectu speciei, sed respectu indiuiduorum, in quibus aliquando habet causam permanentem, aliquando transeuntem; ex quo prouenit, quòd sit ab eis separabile, vel inseparabile: vnde si separetur, ad summum sequitur corruptio indiuiduationis eorum, non autem quidditatis; & indemnis manet eorum quidditas, etiam si eis tale accidens non conueniat. Videatur D. Th. q. 2. de Anima art. 12. ad 7. vbi tota hęc doctrina habetur per extensum.

90. Ex dictis facilè formari possunt definitiones secundę intentionis huius quinti prędicabilis, dicendo sic: *Accidens est, quod prædicatur de multis, vt prædicatum quod adest, & abest præter subiecti corruptionem.* Vel *Accidens est, quod prædicatur de pluribus in quale contingenter*. Quarum sensus satis ex dictis patet.

91. Sed est secunda difficultas, respectu quorum inferiorum hoc quintum prędicabile prędicetur? Respondeo inferiora huius quinti prędicabilis esse subiecta, de quibus dicitur accidentaliter; non autem constituta ex subiecto, & accidente quibus conuenit essentialiter. Et ratio est manifesta; quia quintum prędicabile prędicatur in quale accidentaliter: ergo oportet quòd inferiora eius sint illa, ad quę comparatur in quale accidentaliter: solùm autem respectu subiectorum comparatur hoc modo, quia accidentaliter conuenit illis, & per modum formę qualificātis: respectu verò propriorū inferiorum, vt album respectu huius & illius albi, prędicatur essentialiter, quia dicit totam eorum quidditatem.

92. Dices; ipsa subiecta sunt inferiora albo per accidens; quia per accidens Petrus, & Paulus sunt albi: ergo respectu ipsorum subiectorum

album

album est vniuersale, & prædicabile per accidens; atque adeo non est vna ex speciebus prædicabilium, quia prædicabilia sunt vniuersalia per se. ¶ Respondeo, quòd intentio quinti prædicabilis per se est intentio vniuersalis, & per se postulat inferiora; sed non inferiora, quæ habeant perseitatem in natura, & forma, quę prędicatur, sed contingentiam. Et ita ei quod prædicatur accidentaliter de multis conuenit per se vniuersalitas, seu respectus ad multa, sicut opinioni per se conuenit versari circa propositiones cõtingentes.

DISPVTATIO IIII.

De Æquiuocis, Vniuocis, & Analogis.

1. Disputatio hæc est quasi præambula, & prærequisita ad coordinationem prædicamentorum constituendam, in qua coordinatione duplex respectus inuenitur; vnus est ad ea prædicata, quæ sunt supra omnia prędicamenta; alter est ad ea, quæ in eodem prædicamento ordinantur. Respectus prædicamentorum ad ea, quę sunt supra prædicamenta, est respectus analogorum, vel æquiuocorum, quia non conueniunt prædicamenta in aliquo superiori vniuoco. Respectus verò ad ea, quæ in eodem prędicamento ordinantur, est vniuocorum, quia est secundùm eandem rationem, & nõ solùm secundùm idem nomen. Et sic antequam de prædicamentis agamus, necessariò cognoscere debemus quid sint æquiuoca, quid vniuoca, & quid analoga.

2. Æquiuoca autem definiuntur ab Aristotele hìc cap. 1. de antepredicamentis, *esse illa, quorum nomen commune est, ratio verò substantiæ nomini accommodata diuersa.* Pro cuius definitionis intelligentia notandum est, quòd nomen æquiuocum (& idem est de vniuocis, & analogis) dicitur *æquiuocum æquiuocans*; res verò per tale nomen significatæ, dicuntur *æquiuoca æquiuocata*. Hoc posito explicantur singulæ particulæ huius definitionis. *Æquiuoca dicuntur*; loquitur Aristoteles de æquiuocis æquiuocatis. *Quorũ nomen*; nomẽ hìc accipitur vt compræhendit verbum, participium, & alias partes orationis, in quibus inueniri possit æquiuocatio. *Est commune*, vt innuat, nomen debere esse omninò vnum, sic enim propriè erit commune: vnde quælibet diuersitas in nomine, etiam si fiat sola mutatione alicuius literæ, vel solius accentus, tollet ęquiuocationem. Qua ratione *occido* non est ęquiuocum, licèt significet actionẽ auferendi vitam, & passionem, seu mortem: quia in prima significatione producitur, & in secunda corripitur. *Ratio verò*, idest conceptus obiectiuus; *substantiæ*, idest essentię; substantia enim interdùm sumitur pro essentia, interdùm verò pro substantia, quę distinguitur cõtra accidens. *Nomini accommodata diuersa*; vt ostendat ad ęquiuocationem solùm requiri, vt ęquiuocata secundùm quod significantur per nomen ęquiuocum, non habeant vnam rationem, licèt aliàs secundũ quod alijs nominibus significantur, verè habeant vnam rationem, & vniuocè conueniant. Nomen enim canis ęquiuocum est ad latrabilem, & marinum; quia secundùm quòd significantur per tale nomen, non ha-

habent vnam rationem: licèt aliàs in nomine substantię, & animalis conconueniant vniuocè.

3. Vniuoca verò ab eodem Aristotele loc. cit. definiuntur, *esse illa, quorum, & nomen commune est, & ratio substantiæ nomini accomodata, est eadem*. Quę definitio ex dictis pro definitione æquiuocorum explicata manet; nàm vniuoca ab æquiuocis solùm distinguuntur in hoc, quòd nomen vniuocum immediatè significat vnam rationem, quę est communis vniuocatis; ęquiuocum verò immediatè significat proprias rationes ęquiuocatorum. Quod Aristoteles à posteriori probat, quia si quis querat: quę est ratio Canis, quę inuenitur in latrabili, & marino; non assignabit vnam definitionem illis communem, sed proprias eorum definitiones adducet. Si verò querat, quę est ratio animalis, quę inuenitur in homine, & equo; respondet vnica definitione animalis, dicendo: *est viuens sensibile*: absque eo quòd cogatur proprias hominis, & equi definitiones adducere.

4. Analoga Aristoteles non definiuit, verùm ex adductis definitionibus ęquiuocorum, & vniuocorũ, facilè eorum definitionem colligere possumus; nàm analoga ex communi sententia scholę, medium quoddam sunt inter æquiuoca, & vniuoca: vndè sic ea definire possumus: *Analoga sunt, quorum nomen est cõmune, ratio verò substantiæ nomini accommodata, neque est omninò diuersa, neque omninò eadem*. Secundùm quam analoga vtrumque extremum participant: conueniunt enim cum ęquiuocis, & vniuocis in nomine, quod commune debet esse in omnibus: in re verò per nomen significata, partim conueniunt, & partim differunt. Conueniunt quidem cum ęquiuocis in eo quod est diuersa, à quibus tamen differunt, quia non est omninò diuersa, sed aliquo modo vna, in quo assimilãtur vniuocis; verùm quia non est omninò vna, ab vniuocis etiam differunt.

5. Hęc autem analoga, alia sunt proportionis, alia proportionalitatis. Analoga proportionis appellãtur etiam analoga attributionis, eo quod ab vno principaliori solet fieri denominatio seu attributio ad alia, vt à sanitate animalis fit attributio, & denominatio ad vrinam, & medicinam, quę etiam dicuntur sana. In his analogis forma significata per nomen analogum intrinsecè solùm inuenitur in principali analogato, in alijs verò extrinsecè, & per denominationem. Ratio huius est: quia si in omnibus analogatis sit forma intrinseca denominans, vnumquodque non denominabitur tale per formam in alio existentem, sed per eã, quam in se habet intrinsecè, & sic nõ indigebit attributione extrinseca alterius vt denominetur; quod est destruere analogiam attributionis. Cõfirmatur, quia si in vtroque analogato est intrinsecè forma denominans, licèt in vno principaliùs, & perfectiùs, vel vtraque forma est similis vna, vel proportionaliter vna, vel omninò diuersa? si omninò diuersa, resultabit ęquiuocum, non analogum: si omninò similis, & eiusdem rationis, erit vniuocum: si proportionali modo vna, & in vtroque analogato intrinsecè inuenitur, nihil illi deest, vt sit analogum proportionalitatis. Ergo vt detur analogia

logia attributionis, ab istis distincta, debet fieri denominatio, non per formam in singulis intrinsecè; sicut sanitas intrinsecè est in animali; in vrina verò, & medicina non datur intrinsecè forma sanitatis, sed extrinsecè.

6. Analogia autem proportionalitatis subdiuiditur in propriam, & metaphoricam. Propria est, quando ratio significata per nomen analogũ inuenitur intrinsecè in vtroque analogato verè, & formaliter, sicut ens inuenitur in substantia, & accidente. Metaphorica est, quando ratio significata inuenitur formaliter, & intrinsecè in vno, in alio verò similitudinariè, & per translationem, sicut risus inuenitur intrinsecè, & formaliter in homine, abusiuè verò in prato. Hic solùm agimus de propria, quæ est vera analogia proportionalitatis: de qua est tantùm vnica difficultas, an vltra hoc, quòd ratio significata per nomen analogũ sit intrinsecè, verè, & formaliter in omnibus analogatis, importare debeat aliquid attributionis? Et respondeo breuiter affirmatiuè; ratio est, quia proportionalitas absolutè loquẽdo potest inueniri in vniuocis; possumus enim dicere, quòd sicut se habet homo ad suum esse hominis, ita equus ad suũ; & tamen hoc non excludit vniuocationem: ergo vt illam excludat, & constituat analogiam, requiritur præter similitudinem proportionalem, etiam aliqua dependentia in vno analogato respectu alterius. ¶ Confirmatur, quia sola attributio tollit vniuocationem: ergo importari debet in omni analogia. Antecedens probatur, quia vniuoca sunt, quorum nomen est commune, ratio verò substantiæ, nomini accommodata, omnino eadem: sed attributio efficit, vt ratio non sit omninò eadem, nec æqualiter participetur ab omnibus; sed ab vno independenter, & à reliquis cum dependentia ab eo: ergo tollit vniuocationem.

7. Dices: Principium analogicè dicitur, de fundamento Domus; de puncto, quòd est principium lineę; & de corde, quod est principium vitę: sed inter hæc nulla est attributio, sed omnia æqualiter, & per se significantur; & sola proportionalitas reperitur: ergo analogia proportionalitatis non debet necessariò importare aliquid attributionis. ¶ Ad hanc instantiam aliqui respondent, principium esse æquiuocum, quia impositum est ad diuersa significanda. Sed hæc responsio est cõtra Aristotelem 5. met. c. 1. vbi sic ait: *omnibus principijs commune est esse primum, vndè aut est, aut fit, aut cognoscitur*. Ergo principium non est æquiuocum, quia æquiuoca non possunt conuenire, nisi in solo nómine. Dico ergo principium esse vniuocum, & non analogum, quia ratio significata est omninò eadem, & independenter participata ab omnibus principijs. ¶ Solet ab aliquibus hìc quæri, vtrum in his analogis detur vnus conceptus ab inferioribus præcisus; quam difficultatem nos discutiemus in metaphyca, agentes de conceptu entis.



DISPVTATIO QVINTA.

De Prædicamentis.

DVBIVM PRIMVM.

Quid sit prædicamentum; Quotuplex sit; Et quæ conditiones requirantur, vt aliquid directè ponatur in prædicamento?

1. Dico primò. Prædicamentum *esse seriem, seu coordinationē prædicatorum superiorum, & inferiorum, ab vno supremo genere vsque ad indiuiduum.* Et quia ista prædicata superiora, & inferiora sunt magis, & minùs vniuersalia, vocantur gradus, per quos vel ascendimus ab indiuiduo vsquè ad supremum genus, vel descendimus à supremo genere vsque ad indiuiduum; vt cernere licèt in primo prædicamento, in quo ponitur vt supremum genus substantia, deindè corpus, tertiò viuens, quartò animal, quintò homo, & vltimò Petrus.

2. Dico secundò, Prædicamenta esse tantùm decem, nec plura, nec pauciora. Et sunt substantia, quātitas, relatio, qualitas, situs, habitus, vbi, quando, actio, & passio. Hæc conclusio magis innititur communi sensui Philosophorum, quàm alicui firmæ rationi. Suaderi tamen potest probabiliter, aduertendo quòd aliundè petitur numerus prędicabilium, & prædicamentorum. Cum enim vniuersale, seu prædicabile, sit vnum aptum inesse multis, & prędicari de illis tanquam de suis inferioribus, numerus prædicabilium sumitur ex diuerso modo essendi in proprijs inferioribus, & prędicandi de illis: vnde quia quinque tantùm modis potest aliquid esse in suis inferioribus, nempè vel tanquā pars essentialis potentialis, vel tanquam pars essentialis actualis, vel tanquam essentia completa ex illis partibus coalescens, vel vt accidens necessarium, vel vt accidens purè contingens; indè fit, quòd quinque tantùm sunt prædicabilia. At verò prędicamenta sunt diuersę series, aut coordinationes generum, & specierum inter se subordinatorum, diuersis modis de prima substantia prędicabilium, ita quòd diuersitas illa prædicamentorum ex diuerso modo prædicandi, non de proprijs inferioribus, sed de eadem prima substantia, desumatur: huiusmodi autem coordinationes diuersimodè de prima substantia prædicabilium, decem esse possunt, nec plures, nec pauciores; *Quod sit probabiliter ostendi potest.* Quidquid prædicatur de Petro, aut de quauis alia prima substantia, vel est de eius essentia, vel extra essentiam: si sit essentiale, vt cum dico Petrus est homo, animal, viuens, corpus, substantia, constituitur categoria substantię: si verò est extra essentiam eius, vel est prędicatū purè absolutū, vel purè relatiuū, vel medio modo se habens, idest absolutum, connotans tamē aliquid extrinsecum. Si sit purè absolutum, aut conuenit ipsi ratione materiæ, & illud est quantitas: aut ratione formę, & est qualitas: si purè relatiuum, est ipsa relatio: si verò absolutum, connotans tamen aliquid extrinsecum, vel connotat illud vt principium actiuum, à quo emanat, & est actio; vel vt principium passiuum, in quo recipitur, & est passio; vel

vel vt mensuram magnitudinis ambientem, & mensurantem molem ipsius corpoream, siuè absolutè sũptam,& est vbi, siuè spectatam cum debito ordine partium, & est situs; vel mensuram durationis,& est quãdo; vel deniquè vt ornamentum, & tegumentum corporis, & est habitus. Nullus autem alius modus essendi in prima substantia, aut prędicandi de illa videtur excogitari posse; ergo decem erunt, nec plures, nec pauciores huiusmodi prędicabilium coordinationes, atque adeò decem prędicamenta.

3. Dico tertiò, Hæc decem prædicamenta esse inter se realiter distincta. Ita Caiet. 1. p q. 28. art. 1. & alij. Probatur; quia diuisio entis in decem prædicamenta, est diuisio; qua ens reale creatũ diuiditur in diuersa entia realia: sed diuersa entia realia sunt realiter distincta, quia quæ sola ratione distinguuntur, sunt eadem entitas realis: ergo decem prędicamenta inter se distinguuntur realiter. ¶ Confirmatur, quia decem prædicamenta sunt primò diuersa: si autem inter se non distinguerentur realiter, non essent primò diuersa; quia conuenirent in vna, & eadem entitate: eadem autem entitas non est diuersa à seipsa: ergo prædicamenta necessariò debent inter se distingui realiter.

4 Dices: Actio & passio sunt duo prædicamenta; & tamen non distinguuntur realiter: ergo non omnia prædicamenta distinguũtur realiter. ¶ Respondetur negando minorem; actio n subiectatur in agente, passio verò in passo: hoc autem fieri nequit si essent idem accidens, quia idem accidens in duobus subiectis subiectari non potest.

5. Dico quartò, Quinque conditiones requiri, vt aliquid directè ponatur in prædicamento. Primò, vt sit ens per se: Secundò, vt sit ens completum; Tertiò, vt sit ens finitum: Quartò, vt sit ens incomplexum: Et quintò, vt sit vniuocum. In hac conclusione non loquimur de ente rationis; quia ens, quod immediatè diuiditur in decem prædicamenta, non est ens latissimè sumptum, prout ambit ens reale,& ens rationis, sed vt dixi, est dumtaxat ens reale, creatum. Vnde sequitur; ens rationis non poni in aliquo prędicamento; quod enim non continetur sub diuiso, nequit collocari sub aliquo membrorum diuidentiũ: si ergo diuisum in proposito sit ens reale creatum, ens rationis, quod non continetur sub illo, neque continebitur sub vllo prædicamentorũ ipsum diuidentium.

6. Loquendo igitur de ente reali, probatur conclusio discurrendo per singulas conditiones. Et quantum ad primam dicitur debere esse *ens per se*, ad excludendum ens per accidens, quod ideo excluditur à prædicamento, quia non dicit vnam naturam, sed plures, atque adeo neque rem constantem vnico genere, & differentia, sed pluribus, & propterea non in vno, sed in pluribus prædicamentis iuxta numerum naturarum distinctarum ponitur. Ex hac conditione reijcienda sunt à prędicamento concreta accidentalia, quia sunt quid conflatum ex subiecto, & accidente, & consequenter ex naturis diuersorum prædicamentorum.

7. Secunda conditio est, vt sit *ens completum*: vocatur autem ens completum, quod significatur vt totum

tum constitutum, & per modum quid. Ratio hujus conditionis est, quia prędicamentum per se solùm fit ex generibus, & speciebus: genera autem, & species sunt entia completa: ergo solùm entia completa possunt prædicamentum per se constituere, aut in eo per se collocari.

8. Dices: Situs, & vbi non sunt entia completa, sed modi, & tamen constituunt duo predicamenta: ergo non solà entia completa constituunt prædicamenta. ¶ Respondeo breuiter, quòd modi sunt in duplici differentia. Quidam qui pertinent ad ipsam compositionem, vel complementum alicuius rei, vel naturæ, sicut constitutio substantiæ fit per vnionem, & completur per subsistentiam, accidens per inhærentiam, qualitas per gradus intensionis, & remissionis, siue illi sint diuersę vniones, siue diuersæ terminationes eiusdē qualitatis. Et isti modi reducũtur ad predicamentum illius rei, quã cõponunt, aut terminant modificando, sicut partes componendo. Alij modi sunt, neq; ad constitutionem, neque ad complementum rei pertinentes, sed tantùm ex aliqua extrinseca ratione, seu principio conueniẽtes, & his non repugnat per se prędicamenta constituere, vt vbi, & situs: & ideo dixi, nomine entis completi in præsenti venire totum vt constitutum, & per modum quid significatum.

9. Per hanc secundam conditionē differentię excluduntur à recta linea prædicamentali, & solùm eis conceditur, vt latera prædicamenti constituant. Ratio est: quia differentia formaliter sumpta, solùm dicit partem speciei: ergo formaliter est quid incompletum: sed recta linea prædicamenti solùm cõstituitur ex prędicatis completis, quę sunt genera, & species: ergo differentię non pertinent per se ad illam.

10. Tertia conditio est, quòd ens prędicamentale sit *finitum*. Quę conditio excludit infinitum simpliciter, & in omni genere entis, vt Deus, non infinitum determinati generis si daretur, verb. gr. quantitatem, aut qualitatem infinitam. Ratio est: quia infinitum determinati generis solũ accidentaliter est infinitum, nam ex parte essentiæ constat actu, & potentia, quę sunt termini, quibus essentia finitur in ratione essentiæ: illi n. sunt termini essentię, quibus in essendo componitur, solùm autem cõponitur actu, & potentia, & ab eo, quod est potentia, sumitur genus, ab eo, quod est actus, differentia: ergo simpliciter retinet coordinationem, & seriem prędicatorum superiorum, & inferiorum, generis, & speciei, quod est poni in prędicamento. At verò infinitas in substantia, seu in genere entis, est infinitas actus puri, quia est infinitas penes carentiam terminorum essentię, quę excludit omnem potentialitatem, qua exclusa nõ remanet genus, quod est quid potentiale ad differentias, à quibus actuatur, & determinatur. Et sic haberi non potest ratio generis, & speciei, & consequenter neq; coordinato prędicamentalis.

11. Quarta conditio est, quòd ens sit *incomplexum*. Et ratio est: quia recta linea prędicamentalis ex solis generibus, & speciebus fit: sed complexa siue accidentalia, siue essentialia non sunt genera, neque species: ergo ex eis non fit prędicamentum.

12. Dices: loco definiti licet ponere definitionem eius, vt loco hominis,

minis, *animal rationale*, quia talis definitio equiualet definito: ergo in recta linea predicamentali licebit ponere loco generis, & speciei, cuiuscumque propriam definitionem, quę cum sit complexum quid, sequitur ex complexis substantialibus fieri per se predicamentum. ¶ Respond. quòd non semper loco definiti licet ponere definitionem, sed solùm quãtum ad equiualentiam veritatis, quia de quibus predicatur definitum, necesse est, predicari definitionem. At verò vbi modus significandi debet esse determinatus, & distictus in definitione, & definito, non licet eam loco definiti ponere. Et ita est in proposito, quia res non ponitur in predicamento, quomodocumque significata, aut concepta, sed per modum generis, aut speciei, & idẽ per modum incomplexi: cum ergo definitio non habet modum generis, aut speciei ratione complexionis, sequitur nec habere per modum predicamentalem; quare non potest loco definiti in predicamento poni.

13. Quinta, & vltima conditio est, vt sit *vniuocum*. Nam æquiuocũm non significat vnam naturam, sed plures. Analogum autem remouetur, quia non est genus, nec species per genus, & differentiam constituta. Excluso autem genere, & specie, excluditur coordinatio prædicamenti, quæ ex istis constat.



DVBIVM SECVNDVM.

De Prædicamento substantiæ.

§. I.

Quodnam sit supremum genus huius prædicamenti?

14. VIDETVR, nullum supremum genus assignari posse huic prædicamento. Quod sic probatur; si aliquod assignaretur, maximè esset substantia: sed hęc non potest esse genus: ergo nullum assignari potest. Minor suadetur; substantia vniuersaliter sumpta, est trãscendens, & includitur in vltimis differentijs: genus autem non potest esse transcendens, nec includi in vltimis differentijs, cum extra earum rationem sit: ergo substantia vniuersaliter sumpta non potest esse supremum genus huius prædicamenti. ¶ Confirmatur, quia si substantia vniuersaliter sumpta, esset supremum genus huius prædicamenti, etiam accidens vniuersaliter sumptum, esset supremum genus respectu omnium accidentium, quia quantum ad hoc non est maior ratio de substantia, quàm de accidenti: sed accidens vt sic respectu omnium accidentium non est supremum genus, nec constituit vnum prædicamentum, aliàs prædicamenta non essent decem, sed duo tantùm: ergo neque substantia vt sic constituet prædicamentum substantię, nec erit supremum genus respectu illius.

15. Pro decisione præsentis difficultatis noto, substantiam hîc non accipi pro quidditate, seu essentia rei; sic enim non est speciale prædicamen-

camentum, nam etiam accidentia suam habent quidditatem, & essentiam: sed pro ente per se; quod opponitur accidenti, quod est ens in alio. Sic autem sumpta substantia, dupliciter considerari potest: vel in ordine ad se, & sic dicitur subsistens, quasi non indigens alio, vt sustentetur, sed in se sistens: vel in ordine ad alia, quatenus illa sustẽtat in esse; & sic dicitur substans. Sicut enim aliud est lucere, aliud illuminare, licèt hoc secundum ex primo oriatur; ita esse in se sine indigentia sustentationis ab alio, est diuersa consideratio ab eo, quod est, alia sustentare, & illis dare esse.

16. Substantia constitutiua huius prædicamenti, sumitur per ordinem ad istos duos actus, qui sunt subsistere, & substare; & definiri potest sic: *substantia est ens per se existens*, quam definitionẽ S.Th. in 4. dist. 12. q. 1. art. 1. quæstiunc. 1. ad 2. docet, ita esse intelligendam; *Quòd substantia est res, cui debetur esse per se, sicut accidens est ens, cui debetur esse in alio, quia esse actu per se, vel in alio, non est ipsa quidditas substantiæ, vel accidentis, quia esse, seu existere, in nulla quidditate creata est intrinsecum prædicatum.* Definiuimus autem substantiam per ordinem ad subsistere, & non per ordinem ad substare, quia prius ei conuenit subsistere, quod est in ordine ad se, quàm substare, quod est in ordine ad sustentanda alia.

17. Hæc perseitas substantię non consistit in sola negatione essendi in alio, sed in ratione positiua. Ratio est, quia negatio ista fundari debet in aliquo positiuo, aliàs esset purum nihil, & non constitueret positiuum ens, quale est substantia. Et confirmatur, quia esse per se est perfectius, quàm esse in alio: sed esse in alio, est positiuus modus essendi, scilicet per inhærentiam, & vnionem ad aliud: ergo esse per se non est pura negatio, sed aliquid positiuum.

18. Hoc autem positiuum, quod perseitas dicit, rigorosè solùm conuenit substantiæ completæ, quia substantiæ completæ debetur per se subsistere, partibus verò conuenit existere in toto, non in seipsis. Ex quo sequitur, quòd sola substantia completa in communi, hoc est, abstracta à particularibus substantijs completis, sit supremũ genus huius prædicamenti. Nomine autem substantiæ completæ in communi, non intelligo substãtiam completam abstractam à creata, & increata; his enim substantijs nihil potest esse commune vniuocum; sed substantiã completam creatam, quæ prima diuisione diuiditur in corpoream, & incorpoream; ex qua diuisione resultat secundum genus corporis, quod subdiuiditur in viuens, & non viuens; Et rursus viuens in sensibile, & insensibile; & tandem sensibile, quod est animal, in hominem, equũ, & leonem. Et ex his diuisionibus resultat prædicamentum substantiæ, his prædicatis constans, substantia, corpus, viuens, animal, homo, vsq; ad Petrum.

19. Ex dictis habetur decisio præsentis difficultatis, scilicet supremum genus huius prædicamenti, esse substantiam creatam completam in cõmuni sumptam. Et facilè suadetur; quia supremum genus prædicamenti est illud, à quo deriuantur genera, & species eiusdem prædicamenti, & ipsum non deriuatur ab alio: sed has conditiones habet substantia creata com-

completa in communi sumpta: ergo est supremum genus prædicamenti substantiæ. Probatur minor, quia hæc non deriuatur ab alio prædicato superiori vniuoco, sed immediatè continetur sub ente analogo: Et ab ea deriuantur genera, & species, ex quibus efficitur recta linea prædicamenti, vt ostensum est: ergo.

20. Ad argumentum autem in principio positum, neganda est minor; ad cuius probationem respondetur, quòd substantia sumpta pro completa, & finita, seu creata, dicit vnam rationem vniuocam respectu omnium substantiarum completarũ, ex quibus fit prædicamentum, & sic potest esse supremum genus prædicamenti substantię. ¶ Ad confirmationem negatur paritas, quia accidens nõ est vniuocum respectu omnium accidentium, sed analogum, & ideo continere non potest determinatum prædicamentum.

21. Dices: Accidens reale sumptum, non vt abstrahit à completo, & incompleto, sed pro accidente cõpleto, est vniuocum: ergo respectu omnium accidentium realium completorũ cõstituere potest vnum prædicamentum. Antecedens probatur, Tale accidens non includitur in differentijs, sed se habet vt substantia completa, quæ verè est genus, quia non includitur in differentijs, licèt prout abstrahit à completa, & incõpleta, genus non sit: Cur ergo similiter accidens completum non erit vniuocum? ¶ Confirmatur, quia accidens completum nõ est transcendens, quia non includitur in differentijs. Non est analogum, quia ratio accidentis est, esse in subiecto: esse autem in subiecto, non solùm formaliter, & intrinsecè conuenit omnibus accidentibus completis, sed etiam æqualiter. Ergo est vniuocum.

22. Propter hoc argumentum aliqui concedunt accidens esse genus. Et ad inconueniens, quòd nouem prædicamenta non erunt suprema genera, respondent, quòd sunt suprema genera respectiuè, non absolutè. Sed hæc responsio reijcienda est, quia aliàs omnia genera subalterna possent dici suprema respectiuè, nàm viuens v. g. in ratione viuentis non habet aliud superius; sicùt qualitas in ratione qualitatis. Ex quo euidenter sequitur, quòd prædicamenta erunt, vel duo tantùm, vel plus quàm decem.

23. Alij verò dicunt, accidens esse vniuocum, non tamen genus; quia genus pertinet ad quidditatem specierum: accidens autem non significat quidditatem accidentium, sed esse eorum in substantia. Hæc etiam responsio reijcienda est, quia nulla sufficiens ratio assignari potest, excludendi vniuocum à ratione generis. Ratio autem adducta, si aliquid probat, probat etiam accidens non esse vniuocum, quia non minus pertinet ad rationem vniuoci, esse de quidditate inferiorum, quàm ad rationem generis: si ergo accidens ideo non est genus, quia non dicit quidditatem accidentium; sequitur eadẽ ratione non esse vniuocum. Antecedens probatur ex definitione vniuocorum. *Vniuoca enim sunt quorum nomen est commune, ratio verò substantiæ eadem*. Per *rationem* autem *substantiæ* intelligunt omnes conceptum quidditatiuũ: ergo repugnat, aliquid esse vniuocum, & non esse de quidditate inferiorum. ¶ Deinde falsum est, quòd accidens non dicat

quidditatem accidentium; nam ens pertinet ad quidditatem etiam particularium, & diuiditur, vt tale, in substantiam, & accidens, tanquam in membra opposita, & adæquata: sed substãtia dicit quidditatem substantiarũ inferiorum: ergo etiam accidens dicit quidditatem inferiorum accidentium.

24. Reiectis igitur his solutionibus; communis responsio negat, accidens esse vniuocum,& consequenter genus. Sed in reddenda ratione non omnes conueniunt: nam aliqui ideo hoc negant, quia inter accidentia realia completa, aliud est absolutum, aliud relatiuum: ab his autem (inquiunt)abstrahi non potest conceptus simpliciter vnus; quia vel cõceptus abstractus ab his, est absolutus, vel relatiuus. Non absolutus; quia non conueniret accidenti relatiuo. Nec relatiuus, quia non conueniret inferiori absoluto: ergo nullus abstrahi potest. ¶ Hæc tamen ratio mihi non videtur efficax, nam conceptus abstractus neque esset absolutus, neque relatiuus, sed solùm esset ratio completa essendi in alio aptitudinaliter; præscindens ab hoc, quòd sit absoluta, vel relatiua.

25. Alij verò negant, quia omnia accidentia dicunt attributionem ad substantiam, & intrinsecam dependentiam ab ea,& ideo non sunt vniuoca, sed analoga. ¶ Etiam ratio ista insufficiens est: quia analogia solùm reperitur inter significata eiusdem nominis analogi, & non inter significata diuersorum nominum, vt ex definitione analogorum constat: sed nomine accidentis non significatur substantia, sed sola accidentia: ergo attributio,& dependentia inter hæc versari debet, vt efficiat nomen accidentis analogum, & non sufficit inter illa, & substantiam, non significatam nomine accidentis. ¶ Dico igitur (& est vera solutio) attributionem reperiri inter accidẽtia, quia omnia dicuntur talia in ordine ad quantitatem, ratione cuius inhærent subiecto.

§. II.

De diuisione substantiæ in primam, & secundam.

26. Aristoteles cap. 5. substantiam directè ponibilem in prædicamento, diuidit in primam, & secundam. Et primam definit esse illam, *quæ neque in subiecto est, neque de subiecto dicitur*. Secundam verò sic; *Secundæ substantiæ sunt genera, & species, in quibus insunt primæ*. Videndum est in præsenti paragrapho, vtrum substantia hæc prædicamentalis fuerit benè diuisa in primam, & secundam; qualis sit hæc diuisio; Et quis sit sensus prædictarum definitionum.

27. Dico primò, Substantiam prædicamẽtalem rectè diuidi in primam, & secundam. Hæc conclusio est communis inter Dialecticos; & probatur ratione: quia substantia prima idem est, ac substantia particularis; substantia verò secunda idem ac substantia vniuersalis: atqui substantia directè in prædicamento collocata, alia est particularis, nempe ipsa indiuidua, quæ ponuntur tanquam basis lineæ prædicamentalis; alia verò est vniuersalis, nempe omnes gradus superiores, vt homo, animal, viuens, corpus, substantia: ergo illa diuisio est bona, & adæquata.

28. Dico secundò, Diuisionem sub-

ubstantiæ in primam, & secundam, esse diuisionem subiecti in accidentia. Probatur nam diuidere substantiam in primam, & secundam, est diuidere illam in particularem, & vniuersalem: atqui diuisio substantiæ in vniuersalem, & particularem, est diuisio subiecti in accidentia; vniuersalitas siquidem, & particularitas accidentaliter adueniunt substantiæ secundùm se consideratæ, vt est ens per se subsistens completè, aduenių̃t, inquam, illi media operatione intellectus concipientis illam, vel vt cõmunem, & vniuersalem, vel vt particularem: ergo, &c. Vnde illa diuisio, substantia alia est vniuersalis, alia particularis, similis est huic, Homo alius est albus, alius niger: nisi quòd vniuersalitas, & particularitas sunt accidentia rationis, & secundæ intentiones; albedo autem, & nigredo sunt accidentia realia.

29. Dico tertiò, Sensum definitionis primæ substantiæ esse, quòd secunda intentio, à qua substantia constituitur in esse primę, & particularis, est ratio quare substantia, neque sit in subiecto, neque prædicetur de subiecto. Sensum verò definitionis secundæ substantiæ similiter esse, quòd secunda intentio, à qua substantia constituitur in esse secundæ, seu vniuersalis, est ratio quare in secundis substantijs insint primæ: Primæ enim substantiæ continentur in secundis, vt inferiora essentialia in superioribus: quã potẽtialem continentiam habent ipsa à secunda intentione vniuersalis, non cuiuscumque, sed generis, & speciei: hę enim tantùm possunt esse superiora essentialia respectu primarum substantiarum.

30. Contra has conclusiones obijcies, primò; Membra diuidentia ita inter se opponuntur, vt vnum non possit prædicari de alio: sed secunda substantia prædicatur de prima, vt cum dico, Petrus est homo, est animal, est viuens, est corpus, est substantia: ergo substantia non benè diuiditur in primam, & secundam. ¶ Respondetur quòd quamuis vnum membrum formaliter nõ possit prędicari de alio, materialiter tamen potest. Secunda autem substantia formaliter non prędicatur de prima, non enim verum est dicere, *Petrus est substantia secunda*, seu *vniuersalis*; sed tantùm materialiter, id est, illud quod denominatur substantia secunda, scilicet animal, viuens, & huiusmodi, prædicatur de prima.

31. Ob. 2. In prę̨fata diuisione id, quod diuiditur in primam, & secundam, est substantia in communi: substantia autem in communi idem est, ac substantia vniuersalis, ac proinde secunda, ergo in pręfata diuisione vnum membrum diuidens coincidit cum diuiso ¶ Respond. substantiam in communi, abstractam à prima, & secunda, non esse vniuersalem formaliter, sed tantùm materialiter seu fundamentaliter, vt patet ex his, quę diximus agentes de vniuersali; & cõsequenter in pręfata diuisione diuisum non coincidit cum secunda substantia, hęc enim est vniuersalis formaliter, & non fundamentaliter.

32. Ob. 3. Substantia considerata secundùm se, & vt pręuenit modum essendi particularem, vel vniuersalem, neque est in subiecto, neque dicitur de subiecto: & tamen prout sic non est prima substantia; ergo definitio primę substantię conuenit alijs à definito. ¶ Respondetur quòd substantię secundùm se considratę,

& vt preuenit particularitatem, & vniuersalitatem, neque conuenit, neque repugnat esse, aut dici de subiecto; sed merè negatiuè, se habet. Ad rationem autem primę substãtię necessarium est, quòd hoc positiuè illi repugnet, vt eius definitio explicat.

§. III.

Vtrum Deus ponatur in prædicamento substantiæ?

33. QVamuis ex his, quę dubio precedenti num. 10. diximus, euidenter colligatur, Deum, qui est infinitus simpliciter, & in omni genere entis, non pertinere ad hoc, vel aliud prędicamentum, placuit tamen difficultatem hanc specialiter discutere, quia plures eum in hoc prędicamento esse affirmant. Quorum fundamentum est: quia id ponitur in hoc prędicamento, cui cõuenit definitio substantię prędicamentalis: atqui definitio illa conuenit Deo: ergo Deus ponitur in hoc prędicamento. Probatur minor; substantia prędicamentalis definitur, *ens per se complete subsistens*: sed Deus est ens per se completè subsistens: ergo Deo conuenit definitio substãtię prędicamentalis. ¶ Confirmatur quia si aliquid obstaret, quo minus Deus esset in hoc prędicamento maximè esse substantiam infinitam: sed hoc non obstat: ergo nihil. Probatur minor, esse aliquid infinitum non obstat quo minus sit in alijs prędicamentis; vt si daretur linea infinita, esset in prędicamento quantitatis: & si daretur calor infinitè perfectus secundùm intensionem, esset in prędicamento qualitatis: ergo etiam si Deus sit substantia infinita, poterit esse in prædicamento substantiæ.

34. Dicendum tamen est, Deum neque in hoc, neque in quocumque alio prædicamento collocari posse. Ita tenet S. Thom. 1. p. q. 3. art. 5. & lib. 1. cont. gent. cap 25. & communiter DD. Probatur primò, quia omne, quod est sub aliquo genere, vel est indiuiduum, vel species aut subalterna aut athoma: sed Deus neutro modo potest esse in prædicamẽto: ergo nullo modo in eo collocatur. Probatur minor, Deus non est species subalterna, quia non continet sub se alias species: neque athoma, quia non continet indiuidua; non enim dantur plures Dij specie, aut numero differentes. Item Deus in prædicamento non potest esse indiuiduum, quia omne indiuiduum in ratione speciei essentialiter conuenit cum alijs: Deus autem cum nulla re creata hoc modo conuenire potest; alioqui diceretur eiusdẽ speciei cum aliqua creatura: & solo numero ab ea differre: quod est absurdum: ergo Deus nullo modo potest esse in prædicamento.

35. Probatur secundò, quia si Deus in aliquo prædicamento esset collocandus, maximè in prædicamento substantiæ, vel relationis: atqui in his non potest collocari: ergo sub nullo. Probatur minor; & primò de prædicamento relationis: Quia prædicamẽta accidentium necessariò postulant, vt in ipsis non collocentur, nisi vera, & realia accidentia; sicut in prædicamento substantiæ non collocatur, nisi vera, & realis substantia: ergo non potest in prædicamento relationis, quod est vnum ex nouem accidentibus, collocari nisi relatio, quæ sit accidens:

sed

sed relatio; quæ est in Deo, non est accidens, sed vera substantia: ergo Deus, seu diuina relatio non potest collocari in prædicamento relationis. Quòd autem neque collocari possit in prædicamento substantiæ, probatur: quia nulla ratio substantię dari potest vniuocè communis Deo, & creaturis propter intrinsecam dependentiam, & attributionem, quã creaturæ habent ad Deum: sed in prædicamento substantię solùm ponitur ratio substantiæ vniuoca, & non analoga: ergo Deus non pertinet ad prędicamentum substantię.

36. Probatur tertiò, ratione S. Th. quia quod est in aliquo prædicamẽto constat genere, & differentia: sed Deus non constat genere, & differentia: ergo in nullo prædicamento collocari potest. Maior patet ex dictis in dubio præcedenti. Minor verò probatur; quod constat genere, & differentia, componitur ex actu, & potentia, quia ratio generis sumitur à potentia, & ratio differentiæ ab actu: sed in Deo non est aliquid vt potentia, & aliquid vt actus: ergo ex genere, differentia constitui non potest.

37. Hanc rationem S. Thomæ Gabriel Vasquez tom. 1. in primam partem disp. 22. cap. 3. infirmam esse dicit, eamque sic impugnat. Si repugnaret in Deo esse aliquid per modum potentiæ, ex quo sumeretur genus, & aliquid per modũ actus, ex quo sumeretur differentia, ideò esset, quia sequeretur Deum non esse simplicem, sed reipsa compositum ex actu, & potentia: atqui hoc nulla ratione sequitur, si dicamus compositionem generis, & differentiæ, esse solùm per rationẽ nostram. Sicùt enim nullum est absurdum, quòd intellectus noster in simplicissima entitate Dei plura distinguat attributa; ita nullum videtur inconueniens, quòd in ea concipiat plura tanquàm componentia, quorum alterum per modum potẽtiæ, alterum per modum actus intelligatur.

38. Verùm hæc impugnatio nullius momenti est, & facilè reijcitur: siquidem genus nõ potest esse actus purus, sic enim non esset determinabilis, & contrahibilis per differẽtias, quia actus purus dicit vltimam actualitatem: sed quidquid concipitur in Deo, debet concipi vt actus purus, aliàs non concipitur vt Deus: ergo omninò repugnat, quòd in Deo concipiatur aliquid vt genus. Confirmatur, quia illud, quod, P. Vasquez concipit in Deo vt genus, debet esse commune Deo, & creaturis: sed in creaturis non inuenitur aliquid, quod habeat rationẽ actus puri: ergo illud in se non est actus purus. Si autem in se non est actus purus, non potest concipi in Deo, quia repugnat concipi in Deo aliquid, quod in suo conceptu exprimit imperfectionem. ¶ Ad illud autem, quod P. Vasquez dicit de attributis, respondeo quòd quando in Deo concipitur aliquod attributum, concipitur vt actus purus, infinitus, & excludens omnem potẽtialitatem, etiam vt subest tali cõceptui; quia distinctio attributorũ in diuinis non fit per exclusionem vnius ab alio, sed per conceptum implicitum, vel explicitum; vndè talis distinctio non opponitur compositioni, sed perfectæ explicationi eiusdem simplicissimæ rei, vt latè dicemus tom. 1. Theologiæ, tract. 1. de attributis.

39. Ad

39 Ad fundamentum oppositæ sententię negatur minor; & ad probationem dico, quòd substantia prędicamentalis est ens per se subsistens aptitudinaliter, non actualiter; sola enim aptitudo ad subsistendum, & non actualis subsistentia est de essentia substantiæ prædicamentalis: Deus verò est ens per se subsistens actualiter, & non aptitudinaliter, quia essentialiter est suum existere. ¶ Ad confirmationem autem concessa maiori, distinguenda est minor; quia *esse aliquid infinitum*, dupliciter intelligi potest, aut secundùm essentiam, aut secundùm aliquam rationem accidentalem extensionis, aut intensionis. Et infinitum primo modo, non potest esse in aliquo prædicamento, ideòque Deus excluditur à prædicamēto, quia est ens infinitum secundùm essentiam. Infinitum secundo modo ad prędicamentum pertinere potest, quia licèt sit infinitum secundùm rationem accidentalem; finitum tamen est secundùm essentiam, per quā in prædicamento collocari debet, & non ratione accidentis. Et talis esset linea infinita si daretur, aut calor infinitus secundùm intensionem: nam linea finitam haberet essentiam quantitatis continuæ, & calor etiam finitam essentiam qualitatis; licèt illa haberet infinitam extensionem longitudinis accidentalē, & calor infinitam intensionem gradualem, vel radicalem: quæ accidentia infinita non obstarent, quo minus in suis prędicamentis collocarentur. Et huius ratio est, quia prædicamenta constituuntur ex rerum essentijs, non ex earum accidentibus.

§. IIII.

Vtrum Angeli ponantur in prædicamento substantiæ?

40. NEgant aliqui, quorum opinio probari potest primò testimonio Aristotelis 10. met. tex. 30. vbi præter primum principium, quod est Deus, ponit quasdam alias substantias, quas vocat intelligentias, ad mouendum corpora cęlestia. Et has dicit, esse actus puros, ac sempiternos: substantia autem, quę est actus purus, nihil habet potentię, à qua desumitur genus: Ea verò quę non habent genus, non possunt habere speciem, nec prędicamentum; quia species componitur ex genere & differentia, & prędicamentum fit ex generibus, & speciebus. ¶ Deindè probatur ratione: quia compositio metaphysica generis & differentię desumitur ex compositione physica ex materia, & forma: Angeli autem physicè non sunt cōpositi ex materia, & forma: ergo neque metaphysicè ex genere, & differentia; ac proindè in prædicamēto collocari non possunt.

41. Dicendum tamen est, Angelos non esse actus puros, componi ex genere, & differentia, & per se collocari in prædicamento substantiæ. Probatur conclusio; nàm in rebus materialibus duplex compositio realis reperitur. Prima ex materia, & forma, ex quibus natura earum componitur, vt natura humana ex anima, & corpore. Secūda ex natura, & esse, seu subsistentia, per quam constituitur suppositum, seu persona: vndè natura respectu huius posterioris compositio-

nis

nis habet rationem potentiæ, & esse seu subsistentia rationem actus. In Angelis autem licèt non reperiatur prima compositio, quia carent materia, reperitur tamen secunda, quia nō sunt essentialiter per se subsistentes; Hoc enim est proprium solius Dei:& sic in Angelis reperitur compositio ex actu, & potentia: ergo intellectus potest ab eis sumere rationem generis, & rationem differentiæ,ex quibus componitur species: ergo in Angelis est compositio ex genere, & differentia & cōsequenter species: ac proindè sunt in prædicamēto, quia prædicamētum cōponitur ex generib⁹,& speciebus.

42. Ad testimonium autem respondendo, quòd ideò intelligentiæ ab Aristotele vocantur actus, quia carent materia: ex quo sequitur esse sempiternas, quia in se non habent principium corruptionis. Non tamen vocantur actus puri, nec sunt huiusmodi,cum non excludant omnem potentialitatem, vt ostensum est. ¶ Ad argumentum neganda est maior, nam compositio ex genere, & differentia desumitur ex compositione ex actu, & potentia: hæc autem compositio vniuersalior est compositione ex materia, & forma.

§. V.

De Propietatibus substantiæ.

43. INter propietates substantiæ quatuor sunt scitu digniores. Prima est, *quòd substantia non sit in subiecto*. Quæ propietas conuenit tam primæ, quàm secundæ substātiæ; neutra enim esse potest in subiecto inhæsionis, de quo hic loquimur,siquidē in hoc differt substantia vt sic ab accidente: quamuis secundę substantię sint in prima tanquàm in subiecto prædicationis, quandoquidem gradus superiores, substantia, corpus, viuens, & alij, qui secundę substantię appellantur, de indiuiduis, quę sunt, & dicuntur substantię primę, enunciantur.

44. Secunda est, *quòd substantia non habeat contrarium*, intellige, propriè dictum. Ratio est; quia contraria sunt, quæ sub eodem genere maximè distant, & ab eodem subiecto mutuo se expellunt, vt calor, & frigus ab aqua: substantia autem non est in subiecto, vt ab eo expelli queat, sed per se subsistit: ergo non potest dici propriè habere contrarium, sed impropriè,quatenus vna destruit aliam, vt aqua ignem, medijs qualitatibus, quæ solæ sunt propriè contrariæ.

45 Tertia propietas est, *quòd non suscipiat magis, & minus*. Nam quamuis vna substantia sit perfectior altera; eadem tamen non perficitur secundùm essentiam, ita vt Petrus v.g. modò sit minùs homo, & postea magis homo. Qualitates verò, quæ suscipiunt magis, & minus, non solùm inueniuntur secundùm magis, & minus in diuersis subiectis, sed etiam in eodem. Et quamuis de facto aliquæ ex his qualitatibus in eodem subiecto non intendantur, aut remittantur, hoc tamen illis non repugnat, sicut repugnat substantiæ.

46. Quarta denique proprietas est, *quòd substantia sit susceptiua contrariorum*. Suscipere autem contraria fit dupliciter: vno modo tanquàm subiectum *quo*, & hoc conuenit superficiei, seu quantitati. Alio modo tanquàm subiectum *quod*,

& hoc est proprium substantiæ: superficies enim non susciperet albedinem, vel nigredinem, nisi quia substantia sustentat illam. Recipiuntur tamen huiusmodi accidentia mediante quantitate. Quòd si in Eucharestia quantitas per se sola recipit accidentia, & habet modum subiecti *quod*, ideò est, quia ibi quantitas virtute diuina habet modum substantiæ.

47. Dices: Cœli & Angeli sunt substantia: & tamen non suscipiunt contraria, aliàs essent alterabilia, quod est falsum, cum Angeli non habeant materiam, & cęli non habeant materiam, quæ sit in potentia ad alias formas: ergo non omnis substantia suscipit contraria. ¶ Respondetur negando minorem; nam etiam cœli suscipiunt contraria, non quidèm corruptiua sui, sed contrarios motus locales, & contraria loca; Angeli etiam contrarios actus, & diuersas sententias, & spirituales affectus suscipiunt, licèt non contraria physica, idest, deseruientia ad generationem, & corruptionem substantię.

DVBIVM TERTIVM.

De Prædicamento quantitatis.

Aristoteles statim post substantiam agit de quantitate, quia in ratione substandi quantitas plus imitatur substantiam, quàm alia accidentia, & magis participat de ratione subiecti: quem ordinem nos etiam sequimur, & sic in hoc dubio essentiam, & species quantitatis, quas ipse Aristoteles statuit, explicabimus.

§. I.

Vtrum quantitas distinguatur à substantia?

48. Negant Nominales apud Suarem disp. 40. sect. 2. asserentes, eandem rem esse substantiã, & quantitatem: substantiam quidem, secundùm quod substat accidentibus; quantitatem verò, secundùm quod habet partes extra partes. Et idem proportionabiliter dicunt de alijs accidentibus corporeis, quòd scilicèt quantitas non distinguitur ab eis, sed vnumquodque per ipsũ est quantum. ¶ Fundamentum huius sententiæ est: quia rerum distinctio introducenda non est, sine aliqua necessitate: nulla autem est necessitas ponendi quantitatem distinctam realiter à substantia: nam hoc ipso, quòd res intelligitur habere partes extra partes in ordine ad locum, intelligitur quanta: sed substantia materialis habet partes entitatiuas, quarum vna est extra entitatem alterius, nec potest esse extra entitatem alterius, nisi sit extra locum illius: ergo nulla est necessitas in substantia ponendi quantitatem distinctam. ¶ Confirmatur, quia si quantitas est res distincta à substantia: ergo poterit Deus eas separare, & substantiam materialem sine illa quantitate conseruare: sed substantia sic conseruata, esset quanta: ergo impossibile est, quantitatem esse rem distinctam à tali substantia. Probatur minor, substantia illa haberet distinctionem partium, quia non possunt, quæ distincta erant, in vnam simplicem entitatẽ coalescere: haberet etiam localem

situm

situm earumdem partium, quia quæ in entitate distinguuntur sunt, vel saltem possunt in diuersis locis cõstitui: ergo haberet totum id, quod reddit rem quantam. Hanc sententiam Nominaliũ ex modernis vt magis probabilem amplectitur Arriaga disp. 5. met. sect. 1. num. 10. & idem fundamentum adducit de non necessitate talis distinctionis, & nullum aliud.

49. Opposita tamen, quę communis est inter DD. presertim Theologos, tenenda est: cuius pręcipua ratio desumitur ex mysterio Eucharistię, in quo Deus separauit quantitatem à substantijs panis, & vini, conseruans illam, & has conuertens in corpus, & sanguinem Christi: id autem fieri non potuisset, nisi quantitas ex natura rei distingueretur à substantia.

50. Respondent Nominales, in mysterio Eucharistię perijsse quantitatem panis simul cum substantia, vt potè idem realiter cum ipsa; manere tamen quantitatem coloris, saporis, & aliorum accidentium, quę realiter distinguebantur à substantia.

51. Hęc responsio, quia saluat veritatem transubstantiationis, non est heretica, tamen quia est contra communem sensum Theologorum, qui censent manere post consecrationem quantitatem substantię panis, imò & illam esse subiectum aliorum accidentium ibi manentium, ideò non caret aliqua temeritate. Et impugnari potest primò, quia trãsubstantiatio, quam Concilia, & Patres ponunt in Eucharistia, est conuersio totius substantiæ panis in totam substantiam Christi Domini, manentibus eisdem accidentibus, vt sumitur ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. 1. & Tridenti. no sess. 13. can. 2. sed quantitas panis est verum accidens, vnum ex nouem prædicamẽtis: ergo quãtitas panis etiam manere debet post consecrationem. ¶ Secundò, quia si accidentia Eucharistiæ non vnirentur in quantitate panis tanquam in cõmuni subiecto, nullo modo vnirentur, nullamque haberent colligationem: siquidem accidentia ista non comparantur inter se tanquã actus, & potentia, neque fingi potest alius modus vnionis, nisi secundùm quòd eidem cõmuni subiecto insunt; quod nullum aliud esse potest, nisi quantitas panis: ergo verè subiectantur in illa: ac proindè quantitas panis realiter separatur, & distinguitur à substantia panis. ¶ Et tertiò, quia hostia consecrata ita est quanta, & extensa in suo loco, vt naturaliter non possit in eodem simul esse, aut penetrari cum alia hostia consecrata: hoc autem prouenire non potest ex sola quantitate albedinis, vel aliarum qualitatum, quia qualitates cum sua propria, & entitatiua extẽsione (vt sic dicam) penetrabiles sunt, tam inter se, quàm cum quacumque quantitate substantiæ panis, simul enim cum illa erant in eodem situ: ergo eadem ratione sunt penetrabiles cum quibuscumque alijs qualitatibus, si nihil aliud est: sed experientia videmus, species cõsecratas ex se repugnare simul esse in eodem loco cùm alijs speciebus cõsecratis; ergo fatendum est, manere in illis aliquid, per quod natura sua repugnant penetrationi: Hoc autem nil aliud esse potest, nisi quãtitas panis: ergo hæc manet post cõsecrationem.

52. Ad fundamentum contrariæ sententiæ respondetur, negando minorem, & ad probationem dico substantiam materialem habere quidem partes entitatiuas, sed sine quãtitate esse penetratas ad inuicem; & in confuso manere, nec esse in loco, quia ratio formalis, per quam res ponitur in loco circumscriptiuo est quantitas, vt dicemus lib. 3. physic. disp. 18. vndè sicut implicat, dari effectum formalem sine forma, sic implicat, rem aliquam esse in loco circumscriptiuo sine quantitate. ¶ Ad confirmationem admisso casu, nego substantiam illam tunc fore quantam, quia licèt tunc haberet partes, non tamen ordinatas, ordinantur autem à quantitate, vt dicã sequenti §. & idcò partes illæ non sufficiunt vt reddant substantiam quantam.

§. II.

In quo consistat ratio formalis, & essentia quantitatis?

53. SVper hac difficultate quot capita, tot sententiæ. Aliqui enim volunt, essentiam quantitatis consistere in ratione mensuræ. Alij in diuisibilitate. Alij in impenetrabilitate, seu repugnantia, quam substantia corporea habet, vt sit in eodem loco cum alia. Et alij in extensione partium. Quænam ex his sententijs vera sit, & tenenda, explico in sequentibus conclusionibus.

54. Dico igitur primò, essentiã quantitatis non consistere in ratione mensuræ, neque in diuisibilitate, neque in impenetrabilitate. Prima pars probatur; quia vel per mensuram intelligimus aptitudinem, quã tribuit quantitas subiecto, vt assumatur ad mensurandas alias res, quę solet appellari mensura actiua: vel aptitudinem, vt passiuè mensuretur. (nam actu mensurare, aut mẽsurari, euidens est, non esse essentiam quantitatis) sed in neutra aptitudine potest consistere essentia quantitatis: ergo &c. Probatur minor, quia vtraque aptitudo supponit extensionem partium, & oritur ex ea: ideò enim aliquod quantum potest mensurare alia, aut mensurari ab alio, quia habet partes: ergo priùs est, habere partes, quàm habere talem aptitudinem. Cum ergo essentia sit omnium primum, planè sequitur, in neutra aptitudine posse consistere essentiam quantitatis.

55. Per quod etiam probatur secunda pars conclusionis: quia aptitudo, quam res quanta habet, vt diuidatur, necessariò supponit extensioné partium: nam ideò linea potest diuidi in partes, quia habet partes; & non é contra: ergo habere partes prius est, quàm potentia proxima ad diuisionem: & sic in ea essentia quantitatis consistere non potest.

56. Dices: saltem diuisibilitas radicalis, aut mensurabilitas radicalis erit essentia quantitatis; hęc enim non præsupponit aliquid prius. ¶ Respondetur. Hoc esse verum, nam ipsa extensio in rei veritate est radicaliter diuisibilitas, aut mensurabilitas; siquidem est radix vnde oriuntur diuisibilitas, & mensurabilitas proximę; adhuc tamen non explicatur sufficienter essentia quantitatis per hos terminos. Sicut siquis diceret, risibilitatem radicalem esse essentiam hominis, in re quidem nihil

falsum

falsum diceret, siquidem radix risibilitatis est ipsa rationalitas. Cæterùm insufficienter, & confusè explicaret tunc essentiam hominis: quia non dum exprimeretur, quid esset illud, à quo tanquam à radice, oritur risibilitas. Idem contingit in præsenti, vt patet.

57. Probatur denique tertia pars conclusionis. Tum quia impenetrabilitas necessariò supponit extensionem in ordine ad locum. Tum etiam quia potest à quantitate separari, vt de facto contigit in natiuitate Christi Domini, & quando ad Discipulos intrauit ianuis clausis: tunc enim quantitas Christi Domini mansit penetrabilis, vt communiter docent DD. contra Durandũ.

58. Dico secundò, extensionem partium esse rationem formalem, & essentiam quantitatis Ita Thomistæ omnes, & alij plures. Probatur, quia illud est ratio formalis, & essentia alicuius, in quo tandem resoluuntur omnes illius propietates: sed omnes propietates quantitatis vltimò resoluuntur in extensionem partium; ergo in illa consistit essentia eius. Probatur minor, quia ideò quantitas potest esse æqualis, vel inæqualis, quia est extensa: ideò potest mensurari, vel mensurare, quia in se habet extensionem: ideò est diuisibilis in partes, quia habet illas extensas. Non tamen valet è contra: neque est assignabilis alia ratio prior, quarè quantitas sit in se extensa, nisi quia est quantitas; Ergo extensio est eius essentia.

59. Pro intelligentia huius conclusionis noto, quòd extensio est duplex. Alia in ordine ad locum, quando scilicèt vna pars actu est extra locũ alterius; vt in nobis nũc manus nõ solũ est extra entitatẽ capitis, sed etiã extra locũ eius, cũ actu correspõdeat diuerso spatio. Alia est extẽsio in ordine ad se, quãdo scilicèt vna pars est extra aliam, ità vt secundùm se non sint permixtæ, & confusæ, sed caput immediatè vniatur collo, collum pectori, & sic de alijs. Quod potest contingere, etiam si tales partes correspondeant eidem loco: vt patet in Eucharistia, vbi Christus Dominus verè habet extensionem hanc in ordine ad se: quia partes eius non sunt confusæ, ita vt caput sicut est vnitum collo, ita sit vnitum pedibus; sed verè seruant inter se ordinem, & vna est extra entitatem alterius: actu tamen non sunt extensæ in ordine ad locum, quia omnes indiuisibili spatio correspondent: & ideò totus Christus in qualibet parte hostiæ continetur.

60. Conclusio autem non intelligitur de extensione partium in ordine ad locum, nam vt dictum est, Christus Dominus in Eucharistia habet quantitatem, & non huiusmodi extensionem; sed in ordine ad se, hæc enim ordinat partes substantiæ, quæ sine quantitate confusæ, & permixtæ sunt. Itaque substantia habet quidem partes, sed sine quantitate penetratas, & se totis vnitas, quod est non habere partes extra partes: & quantitas eas ordinat, reddit impenetratas, & vnam extra aliam. Et iste effectus est primarius, & formalis quantitatis: ex quo sequitur tanquam effectus secundarius quòd tales partes sic ordinatæ, & extensæ in ordine ad se, extendãtur in ordine ad locum: & propterea extensio ista partiũ in ordine ad se, appellari etiã solet extensio localis radicaliter.

 61. Di-

61. Dices contra hanc doctrinā: si Deus auferret quantitatem à substantia, conseruando illam sine quantitate: partes huius substantiæ essent ordinatæ, & vna extra entitatem alterius, cum non sit maior ratio, quarè tota illa substantia cōfluat ad vnam partem potiùs, quàm ad aliam: ergo ordinatio, & extreitas partium in ordine ad se, non est formalis, & primarius effectus quantitatis. ¶ Respondetur negando antecedens; & ad probationem dico, quòd tota illa substantia non conflueret ad vnam partem potius, quàm ad aliam, sed omnes partes eius permiscerentur, & penetrarentur ad inuicem, ad eum modum (proportione versata) quo materia permiscitur formæ, & forma materiæ, & confunduntur simul.

§ III.

De speciebus quantitatis continuæ.

62. Diuiditur quantitas in continuam, & discretam, & sub qualibet ex his Aristoteles plures constituit species. Videndum igitur est, an omnes illæ sint verè, & propriè species quantitatis. Et incipiendo à linea, superficie, & corpore, dico esse veras species quantitatis continuæ. Ratio est: quia linea, superficies, & corpus sunt intrinsecè, & essentialiter quantitates: & vnaquæque habet propriam extensionem, essentialiter ab alia distinctam, siquidem partes vniuscuiusque exposcunt diuersa continuatiua, vt copulentur; nam partes lineæ copulantur punctis, partes superficiei lineis, & partes corporis superficiebus: ergo sunt veræ species quantitatis continuæ.

63. Dices: Punctum, quia ordinatur essentialiter ad lineam, propriè non est species quantitatis: ergo similiter quia linea ordinatur essentialiter ad superficiem, & superficies ad corpus; linea, & superficies non erunt veræ species quantitatis. ¶ Confirmatur vna species non includitur in alia: sed linea, & superficies includuntur in corpore: ergo linea, & superficies verè non sunt species quantitatis.

64. Respondetur ad argumentum negando paritatem, & disparitas cōsistit in hoc, quòd punctum secundùm omnem considerationem, & versus omnem partem est quid indiuisibile, & inextensum, & ita secundùm nullam rationem potest esse species quantitatis. At verò linea vt linea est (& idem proportionabiliter est de superficie) potest considerari dupliciter. Primò versus longitudinem, quo modo habet veram, & propriam extensionem, & est diuisibilis in partes, neque formaliter prout sic ordinatur ad superficiem; ac proinde est quid completum; & vera species quantitatis. Secundò versus latitudinem: & hoc modò linea est indiuisibilis, ordinaturque ad vniendas partes superficiei, sicut punctum ad vniendas partes lineæ: & per consequens prout sic, neque est species quantitatis, neque quantitas, sed continuatiuum quantitatis. ¶ Ad confirmationem dico, quòd corpus materialiter tantùm includit lineam, & superficiem, quod non tollit esse veras species quantitatis continuæ. Sicut à simili contingit in quantitate discreta; quaternarius enim includit ternarium, non formaliter vt ternarius est, sed materialiter ratione trium vnitatum, & ideo

ideo est vera species numeri.

65. Loquendo verò de loco, motu, & tempore, *dico secundò*, nullum ex his esse veram speciem quantitatis. Et licèt Philosophus hic locum, & tempus numerauerit inter species quantitatis; ea tamen reiecit 5. met. apud D. Th. lect. 5. motum verò neque hic, neque in metaphysica collocat inter species quantitatis.

66 Probatur autem conclusio, quoad singulas partes. Et quoad primam de loco, communis est, & facilè suadetur; quia locus nihil aliud est, quàm superficies vltima corporis continentis; & addit super eam, hoc quod est ambire, & continere corpus locatum; & relationem tantę distantiæ ad centrum terræ, vel polos mundi hæc autem præter superficiem, non sunt quantitas: ergo locus vel non est species distincta à superficie, vel non est quantitas. ¶ Quoad secundam verò de motu, conclusio etiam communis est, & ex se patet, quia motus cum sit via, & fieri termini, reducitur ad genus seu prędicamentum sui termini: ergo non potest esse species quantitatis. Probatur consequentia, tùm quia non omnis motus terminatur ad quantitatem, sed tantùm motus augmentationis, non verò localis aut intentionis. Tum etiam quia ille, qui terminatur ad quantitatem non constituitur in specie distincta sui termini, sed reducitur ad illum. ¶ Ex quo probata manet tertia pars conclusionis; quia tempus non est aliud, quàm duratio motus: ergo si motus non est per se quantus, nec tempus erit per se quantum: & consequenter nec propriam speciem quantitatis constituet. ¶ Contra hanc conclusionem aliqua argumenta obijci solent, quæ quia facilis solutionis sunt, relinquo; videri tamen possunt apud Suarem tom. 2. met. disput. 40. sect. 7. 8. & 9. & Ioannem à S. Th. q. 16. log art. 3. ¶ Ex dictis sequitur, tres tantùm esse veras species quantitatis continuæ, scilicet lineã, superficiem, & corpus.

§. IV.

De speciebus quantitatis discretæ.

67. EXplicatis speciebus quantitatis continuæ, eodem ordine, examinandæ sunt duę alię, quas Aristoteles in præsenti constituit sub quantitate discreta, scilicet numerus, & oratio. Et incipiendo à numero, suppono distinctionem *numeri numerantis, & numeri numerati*. Numerus numerans dicitur ille, qui est ratio numerandi in intellectu, vt duo, tria, quatuor, &c. Quæ sunt rationes, quibus omnem rem numeramus. Numerus verò numeratus sunt res ipsæ, quæ huic numerationi subijciuntur. Iste autem numerus sumi potest, & generaliter pro omni multitudine, quęcumque sit. & specialiter pro multitudine quantitatiua: & de hac tantùm est difficultas, vtrum sit ens per se, & constituat speciem aliquam quantitatis; nam de priori, quę constat rebus aliorum prædicamentorum, certum est, eam non constituere, cum non pertineat ad hoc prædicamentum.

68. Prima conclusio. Numerus, qui componitur ex vnitatibus quantitatiuis, est vera, & propria species quantitatis. Hæc conclusio non potest negari in doctrina Aristotelis; quia non solùm hic in prædicamentis, sed etiam in 5. met. vbi solùm nume-

numerauit species quantitatis per se, posuit numerum inter illas. Nec in doctrina S. Th. qui pluribus in locis affirmat, numerum quantitatiuum esse ens per se, & poni in prædicamẽto quantitatis vt veram speciem ipsius. Ita 4. met. lect. 2. & 5. met. lect. 15 & 1. dist. 24. q. 1. art. 3. & q. 9. de potent. art. 7 & 1. p. q. 11. art. 1. ad 1 & quodlib 10. art 1. vnde est communis inter eius discipulos.

69 Probatur primò, quia illa est vera, & propria species quantitatis, de qua ipsa quantitas, quę est supremum genus huius prędicamenti, essentialiter enunciatur: sed enunciatur essentialiter de numero quantitatiuo: ergo numerus quantitatiuus est vera, & propria species quantitatis. Maior est euidens; minor verò probatur; quia de ratione quantitatis vt sic, quę est supremum genus huius prędicamenti, est habere partes extensas, abstrahendo ab hoc quòd huiusmodi partes sint vnitę termino communi, vel non: sed numerus quantitatiuus habet suas partes nempe discretas, extensas, licèt non vnitas termino communi, in quo differt à quantitate continua: ergo quantitas, quę est supremum genus huius prędicamenti, de numero quantitatiuo enunciatur essentialiter. ¶ Probatur secundò, quia numerus quantitatiuus habet mensurare partes cõtinui, & eius extensionem per rationem ęqualis, & inęqualis, paris, & imparis, quę sunt proprietates quantitatis: sed hanc mensurationem non habet à quãtitate co[illegible] quia mẽsuratio propria illius est d[illegible], istius verò continua: ergo numerus quantitatiuus est species quantitatis distincta à quantitate continua. ¶ Probatur tertiò, quia obiectum scientię debet esse ens per se, ens enim per accidens non potest esse per se scibile: sed numerus quantitatiuus est obiectum proprium Arithmeticę; Arithmetica enim nõ habet aliud obiectum, quàm numerum, seu quantitatem discretam: ergo numerus quantitatiuus est ens per se, & sic non repugnabit poni inter species quantitatis.

70. Secunda conclusio. Id, quo numerus redditur vnus per se, non est ipsa multitudo vnitatum, vel earum aggregatio; sed vltima vnitas, quatenus sub illa ordinantur plures vnitates. Hæc conclusio est expressa S. Th. 8. met. lect. 3. vbi de forma cõstituente specificam vnitatem numeri sic loquitur: *Est vnum per se numerus, in quantum vltima vnitas dat numero speciem, & vnitatem.* Ratio autem est; quia vt docet idem S. Doctor 7. met. lect. vlt. super textum 60 Ea sunt vnum simpliciter, quæ sumunt speciem ab vno, siue illud sit forma, siue compositio, siue ordo: ergo numerus sumit vnitatem per se ex eo quòd omnes vnitates, quas includit, ordinantur sub vna vltima, quæ terminat omnes illas. Nec est necesse quòd omnia vna simpliciter, eodem modo sint talia, in eis enim dantur diuersi gradus, nam perfectiori modo est vnum Angelus, & Cœlum, qui nullam varietatem recipiunt, quàm animalia, quæ continuo incremento, & decremento transeunt, & quàm fluuius, qui nec in materia, nec in forma est idem, sed solùm ratione loci, per quem fluit; & tamen hæc omnia dicuntur vna simpliciter.

71. Dices: in numero v. g quaternario quælibet vnitas potest esse vlti-

vltima: ergo quòd sit hæc, vel illa, solùm dependet ex designatione intellectus numerantis; quod est esse aliquid rationis. ¶ Respond. quòd in numero datur in re vltima vnitas secundùm determinationem, & designationem formalem, non materialem, id est, quoad effectum terminandi, & claudendi vnitates, nec enim quaternarius transit vltra quatuor vnitates, aliàs quaternarius nõ esset, & iste effectus in re datur; quòd verò proueniat determinatè ab ista vnitate, vel ab illa, materialiter, & accidentaliter se habet, quælibet enim habilis est, & capax, vt ab illa proueniat. Itaque aliud est, esse vltimam quoad designationem, aliud quoad effectum terminationis; hoc secundum datur in re; primum verò potest dependere ab actu designationis intellectus, sed ad constitutionem ipsam numeri per accidens, & materialiter se habet. Et multa sunt in rebus, quæ hoc genere difficultatis laborant, vt formalitas aliqua inueniatur in re, & eius effectus, & tamen materialis designatio subiecti, seu partis, in qua est illa formalitas, dependeat ab intellectu, v. g. in circulo, qui est finitæ, & determinatæ quantitatis, necessariò datur principium, medium, & finis, aliàs quantitas non esset finita, & tamẽ in qualibet parte designari potest ratio principij, aut medij, aut finis, quod ex natura rei designatum non est. Et similiter punctum in medio lineæ est finis vnius partis, & initium alterius, & tamen quòd respectu huius partis determinatè, vel alterius sit principium, vel sit finis, dependet à designatione intellectus, & materialiter se habet. Idẽ est in casu nostro de vnitatibus quantitatiuis numeri.

72. Contrariam sententiam tenent Fonseca 5. met. cap. 7. quæst. 5. sect. 2. Suarez disp. 41. met. sect. 1. Vasquez 1. p. disp. 25. cap. 3. Conimbricenses hîc q. 2. art. 1. & alij; quorum fundamentum est, quia putant numerum quantitatiuum non esse vnum per se, sed vnum per accidens: quod autem est vnum per accidens, non potest esse species quãtitatis. Assumptum probant *primò*, quia ex pluribus entibus in actu nõ fit vnum per se, vt est commune axioma; ideo enim album dicitur ens per accidens, quia constat ex pluribus entibus in actu, etiam si vniantur vt subiectum, & forma, multò magis, quàm vnitates in numero: ergo à fortiori numerus est ens per accidens, quia constat ex vnitatibus diuisis, & in actu. *Secundò*, quia non possunt plura in vnum coalescere nisi, vel vnitate, vel vnione; inter vnitates numeri non est vnio, cum sint separatæ, & discontinuæ, multò minus vnitas: ergo non est vnum per se. Et *tertiò*, quia vnitas opponitur multitudini, eaque destruitur, numerus autem est quædam multitudo: quomodo ergo est vnum?

73. Respõdetur *ad primum* quòd ex pluribus entibus in actu non fit vnum per se vnitate formæ, benè tamen vnitate ordinis, & mensuræ, sicut fit ex pluribus entibus in actu vnum artefactum, & vnum Sacramentum, & vnum conuiuium; habent enim ista vnitatem per se, quatenus opponitur vnitati per accidẽs, quæ sumitur à multitudine, & non ab aliquo vno, siue forma, siue compositione, siue ordine, vt diximus ex D. Th. 7. met. lect. vltima. *Ad secundum* dico, modos vnitatis, & vnionis esse varios, scilicet formæ, vel com-

compositionis, vel ordinis: numerus autem non habet vnionem, neque vnitatem formæ, vel continuationis, aut compositionis, sed ordinis quãtitatiui, sub vna vltima vnitate. Per quod patet *ad tertium*, nam vnitas continuationis, & formæ opponitur multitudini, non vnitas ordinis, qualis inuenitur in numero. Et hæc de numero sufficiant, plura alia videri possunt in Ioanne à S. Th. hìc q. 16. art. 2.

74. De oratione autem communis sententia docet, non esse veram speciem quantitatis. Ratio est: quia in illa nihil est, quod possit habere rationem quantitatis, nisi extensio seu duratio cuiuslibet syllabæ, ratione cuius dicitur longa, vel breuis apud Grammaticos: atqui talis duratio longa, vel breuis prolationis syllabæ non sufficit, vt oratio dicatur species quantitatis: ergo &c. Probatur minor, duratio illa, seu morula, quæ consumitur in prolatione cuiuslibet syllabæ, nihil aliud est, quàm tempus ipsius intrinsecum: ergo cum tempus non constituat speciem quantitatis, vt §. præc. vidimus, nec etiam duratio illa discreta syllabarum eam constituet.

75. Circa propietates quantitatis, tres enumerantur: *Prima* est, quòd *non habeat contrarium*: & hæc conuenit omni, sed non soli, competit enim substantiæ, vt supra vidimus. *Secunda*, quòd *non suscipiat magis, & minus*: nam eadem quãtitas non dicitur modò magis, modò minùs quantitas; quamuis dicatur, & sit modò maior, modò minor; ad quod sufficit, quòd addantur ei, vel detrahantur partes in diuersis partibus subiecti. Et hæc etiam proprietas est illi communis cũ substantia; & cum alijs prædicamentis à qualitate distinctis, vt constabit. Et *tertia est vt secũdùm quantitatem res dicantur æquales, vel inæquales*. Et hæc conuenit quarto modo, idest, omni, & soli quãtitati, & semper. Sed aduerte, quòd sicut quantitas alia est *molis*, de qua hactenus egimus; alia *virtutis*, quę est quælibet perfectio siuè spiritualis, siuè corporalis: ita etiam duppliciter vnum diei potest æquale alteri; *primò* quantitatiuè, & quoad molem corpoream, sicut duæ lineæ, aut duo corpora eiusdem magnitudinis. *Secundò* quantùm ad perfectionem, sicut vnus homo dicitur alteri ęqualis in scientia, aut virtute. Esse æquale vel inæquale hoc secundo modo non est propietas quantitatis molis, vt constat, sed per omnia genera diuagatur, secus primo modo.

DVBIVM QVARTVM

De Prædicamento Relationis

§. I.

An à parte rei dentur relationes?

76. Loquimur in præsenti de relationibus prout distinguuntur ab omni entitate absoluta, quod conuenit solùm relationibus secundùm esse; & quærimus an huiusmodi relationes re vera dentur à parte rei? Super qua difficultate est duplex opinio: *Prima negatiua*, quam sequuntur Nominales, & aliqui Recentiores, licèt inter se discordent, nam Nominales volunt relationes nihil aliud esse, quàm denominationes extrinsecas, vel aliquid

quid rationis; Recentiores verò eas constituunt non in respectu, sed in comparatione vnius rei ad alteram. *Secunda verò affirmatiua*, asserens dari à parte rei relationes, quæ nec sunt denominationes extrinsecæ, nec aliquid rationis, sed consistere in puro illo respectu, quem vnum relatiuum dicit ad alterum. Et hæc sententia est expressa Aristotelis, qui in hoc cap. *ad aliquid* definiens relata dicit, *esse illa, quorum totum esse se habet ad aliud.* Et vt benè notauit Caietenus in cōmentarijs eiusdem capitis, per hanc definitionem Philosophus definit relationem secundùm suam naturam, quam habet, & non secundùm quòd cognoscitur, vel dicitur: & ideò dixit; *ad aliquid sunt*, non verò *ad aliquid dicuntur*: ergo Philosophus ralationes reales posuit distinctas à relationibus secundùm dici. Eandem sententiam docet S. Th. in mille suæ doctrinæ locis, quorum plura adducit Ioannes à S. Th. hic q. 17. art. 1. ideoquè est communis inter eius discipulos, & tenent omnes ferè communiter.

77. Et probatur efficaciter, primò quia Relationes secundùm dici habent esse absolutum, & non totum ad aliud; Relationes verò rationis non sunt, nisi in intellectu apprehendente, à quo habent esse: sed à parte rei nullo intellectu cogitante inueniuntur aliqua, quæ nullum aliud esse habent, quàm ad aliud: ergo inueniuntur relationes reales, distinctæ à relationibus secundùm dici, & relationibus rationis. Probatur minor, quia nullo intellectu cogitante inueniuntur à parte rei aliqua, quibus nullum esse absolutū assignari potest, vt ordo, similitudo, paternitas, & alia similia, quæ nullo esse absoluto explicari possūt, & totum esse in eis se habet ad alterum, cuius signum est, quia non existente termino deficit similitudo, aut paternitas, si autem esse illorum esset quid absolutum, non deficeret ex solo defectu termini. Negare verò quòd ista à parte rei dentur, est negare id, quod est euidens. Ergo.

78. Probatur secundò alia ratione petita ex relationibus diuinis, quę in quantum distinguuntur inter se realiter, à parte rei dantur, alioquin non distinguerentur realiter personæ relatiuæ, quod esset hæreticum. Non distiguuntur autem, nisi vt puræ relationes sunt secundùm esse; si enim in alio, quàm in pura relatione distinguerentur, non solùm relatiua, sed etiam absoluta distinguerētur in Deo. Ergo dantur in Deo relationes reales, licèt propter summam simplicitatem diuinam identificatæ cum substantia. Cur ergo in creatis repugnabit dari tales relationes, quæ nec substantia sint, nec infinitæ?

79. Et tertiò probatur, destruēdo fundamentum Nominalium, tenentium huiusmodi relationes esse in rebus per modum denominationis extrinsecæ, & non formę intrinsecæ. *Nam* omnis denominatio extrinseca prouenit ex forma aliqua reali intrinsecè existente in alio subiecto, sicut esse visum, aut cognitum ex cognitione intrinsecè existente in cognoscente: ergo si relatio est denominatio extrinseca, prouenit ex aliqua forma existente intrinsecè in alio subiecto: Vel ergo illa forma est relatio; vel entitas absoluta? Si est relatio, iam datur for-

ma relatiua intrinseca, & sic sicut datur in illo subiecto, ita poterit dari in alio. Si autem est forma absoluta, quomodo potest ab illa prouenire denominatio relatiua? à forma enim absoluta non emanat effectus formalis relatiuus, neque intrinsecè, neque extrinsecè. *Deinde* durissimè explicabit hæc sententia, quomodo sint tres personæ relatiuę in diuinis realiter constitutæ, & distinctæ, si sunt denominationes extrinsecæ, & à qua forma absoluta tales denominetiones proueniant? Si autem in Deo extrinsecæ denominationes non sunt, sed formæ intrinsecę, licèt substantiales, & identificatæ cum diuina substantia; cur dicemus repugnare in creatis tale genus entis relatiui, licèt non identificatum cum substantia, cum potiùs res creatæ magis habeant fundamentum talis relationis; quia magis sunt dependentes, & ordinatæ, vel subordinatæ ad aliud.

80. Sed Ob. 1. Nulla est necessitas ponendi entitates relatiuas distinctas ab absolutis: ergo de facto non dantur. Antecedens probatur, hoc ipso quòd ponantur duo alba, & Deus impediret aliam quamcumq; entitatem, illa duo alba erunt similia; & hoc ipso quòd quis genuit, & Deus eodem modo impediret additionem alterius cuiuscumque entitatis, erit Pater; ergo entitates relatiuæ distinctę non sunt ab absolutis. ℑ Respondetur negando antecedens; non enim est minor necessitas ponendi genus entitatis relatiuę, quàm genus quantitatis, vel qualitatis, nam sicut quia videmus effectus quantitatis, & qualitatis, inde tales formas dari colligimus; ita similiter quia videmus dari hunc effectum in rerum natura, scilicèt ordinari aliqua, & habitudinem habere ad alia, sicut similitudo, paternitas, ordo, &c. & in istis effectus respiciendi non non est mixtus cum ratione absoluta, sed totum esse eorum consistit in respectu, indè optimè colligimus dari hoc genus entitatis relatiuæ. Quòd si Deus relinqueret duo alba sine resultantia relationis, manerent similia fundamentaliter, non formaliter. Et idē de Patre dicendum est.

81. Ob. 2. Ista entitas relatiua cōdistincta ab entitatibus absolutis, nō apparet quomodo adueniat rei, nec quomodo de nouo causetur ex sola positione termini: ergo est fictitia, & à parte rei non datur. ℑ Respondetur negando antecedens; nam sicut eadem actione, quà producitur homo, dimanat risibilitas, sic ad productionem albi producitur similitudo ad aliud album, quod existit. Si autem non existit, manet ex vi generationis albi quasi in virtute illa similitudo, vt resultet posito suo termino, quia album positum est in rerum natura vt potens respicere quodcumque aliud album, & sic eo posito statim emanat respectus ad illud, sicut graue, vel leue remoto impedimento statim tendit ad proprium centrum, & talis tendentia tribuitur generanti, vt suo loco dicemus.

§. II.

Quænam relationes pertineant ad hoc prædicamentum?

82. PRO decisione huius difficultatis explicare oportet quasdam

dam generales diuisiones relationis, vt appareat, quæ earum pertineant ad hoc prædicamentum. Tres autē sunt, quibus diuiditur relatio communissimè sumpta; nam *primò* diuiditur in relationem realem, & rationis; *secundò* in relationem secundùm dici, & secundùm esse; & *tertiò* in trascendentalem, & prædicamentalem. Relatio realis est, quæ talis est, & non perfictionem intellectus, sicuti est relatio rationis. Relatio secundùm dici, quæ non distinguitur à relatione trascendentali, re vera relatio non est; dicitur tamen talis, quia significat rem, ad quam consequitur habitudo quædam, seu relatio siuè realis, siuè rationis, vt scientia, sensus, & similia. Deniquè relatio secundùm esse, quæ non distinguitur à prædicamentali, est quæ verè esse relationis habet, & ideò appellatur secundùm esse, quia in rei veritate relatio est, & esse relationis habet: appellatur etiam predicamentalis, quia ad hoc prædicamentum pertinet.

83. Hæc autem relatio secundùm esse, seù prædicamentalis diuiditur in mutuam, & non mutuam. Mutua est illa, cui à parte termini correspondet alia relatio realis, vt paternitas, qua Pater respicit filium, cui correspondet in filio relatio realis filiationis. Non mutua est, cui non correspondet in termino alia relatio realis, vt relatio seruitutis, qua creaturæ referuntur ad Deum, cui in ipso non correspondet alia relatio realis.

84. Vltimò relatio mutua subditur in relationem æquiparantiæ, & disquiparantiæ. Relatio mutua æquiparantiæ est illa, cui correspondet in termino alia eiusdē rationis; vt similitudo vnius albi ad aliud, in quo correspondet etiam similitudo ad primum. Relatio disquiparantiæ est illa, cui correspondet in termino alia diuersæ rationis, vt paternitas, cui in termino non correspondet alia paternitas, sed filiatio.

85. His positis Dicendum est omnes, & solas relationes reales creatas, quæ verè sunt relationes; & appellantur secundùm esse, contineri in hoc prædicamento. Hæc est communis sententia Dialecticorum, quam docet Aristoteles in hoc cap. vbi propterea insufficientem iudicauit Platonis definitionem, quia ex illa inferebatur, relatiua secundùm dici ad hoc prædicamentum pertinere.

86. Fundamentum est, quia ad prædicamentum quantitatis solùm pertinent, quæ verè sunt quantitates; & in prædicamento qualitatis tantùm collocantur, quæ verè sunt qualitates: ergo in prædicamento relationis illæ solæ collocabuntur, quæ verè fuerint relationes reales. Sed tales sunt omnes, & solæ relationes secundùm esse, vt ex dictis patet: ergo hæ tantùm pertinent ad hoc prædicamentum.

87. Additum est autem in conclusione, solas relationes creatas pertinere ad hoc prædicamentum, vt excludantur relationes diuinæ, quæ quamuis sint veræ relationes, tamē propter identitatem cum natura diuina, sunt ipsamet substantia Dei, & ideò pertinere nō possunt ad hoc prædicamentum, in quo solùm collocantur accidentia.

88. Quæres, Quę conditiones requirantur ad relationē realem prędicamentalem? Respondeo quatuor

conditiones requiri ad relationem realem prædicamentalem; scilicèt subiectum reale; rationem fundandi realem; terminum realem, & realiter existentem; & distinctionem realem fundamenti, & termini. Sic docet expressè D. Th. opusc. 48. tract. 5, cap. 1. quem sequuntur communiter Doctores.

89. Probatur conclusio, discurrendo breuiter per singulas conditiones. Et Prima quidem satis ex se patet: nam accidens reale necessariò petit subiectum reale, & realiter existens, cui inhæreat. Secunda etiam conditio satis constat: nam cùm relatio sit ordo inter duo, cuius realitas formaliter loquendo non sumitur à termino, sed à fundamento, si in hoc non intelligitur aliquid reale, quod sit radix, seu ratio, quarè respiciat terminum; talis respectus non poterit esse realis. *Tertia* similiter conditio est euidens, nam relatio realis ante operationem intellectus versatur inter duo: ergo vnum habet à parte rei aliquid, ratione cuius fundet realem relationem; & alterum similiter habet à parte rei aliquid; ratione cuius terminet; ergo sicut requiritur realis existentia subiecti, ità etiam, & termini. *Per quod etiam patet quarta, & vltima conditio*; si enim relatio realis est verus ordo vnius ad aliud, realisque oppositio inter duo: ergo ante operationem intellectus terminus absolutè est aliud à fundamento, & per consequens realiter distinguuntur. Defectu cuius conditionis D. Th. 1. p. q. 42. art. 1. ad 4. docet, relationes similitudinis, aut æqualitatis inter personas diuinas ratione essentiæ, non esse reales: quia licèt personæ ipsæ realiter distinguantur, tamen ratio formalis, secundùm quam attenditur talis similitudo, & æqualitas, scilicet natura diuina, est omninò eadem in illis. Et eadem ratione, si per impossibile eadem numero albedo poneretur in duobus hominibus, non esset inter illos relatio realis similitudinis: quia tunc rationes fundantes similitudinem ex vtroque extremo, non distinguerentur realiter.

§. III.

Quot sint fundamenta relationis; & quomodo relatio ab illis distinguatur?

90. Circa primum communiter DD. tria genera fundamentorum relationis prædicamentalis assignare solent. Primum est, *vnitas & numerus*: secundum, *actio & passio*: Tertium, *mensura & mensuratum*.

91. *Vnitas aut conuenientia* fundat relationem *identitatis*, *similitudinis*, aut *æqualitatis*: ex eo enim quòd Petrus & Paulus conueniant in vna natura specifica, aut generica, fit quòd referantur ad inuicem relatione identitatis in tali natura: ex eo quòd in vna quantitate, aut magnitudine staturæ, oritur inter ipsos relatio æqualitatis; & ex eo quòd in vna qualitate, putà albedine, relatio similitudinis: iuxtà illud Philosophi, *vnum in substantia facit idem: vnum in quantitate facit æquale: in qualitate simile*. § *Numerus* verò aut *distinctio* seu *disconuenientia* fundat relationes *diuersitatis, inæqualitatis, & dissimilitudinis*: ex eo enim quòd in Petro & Paulo sit diuersa numero, & indiuidualiter

ter natura, consurgit inter ipsos relatio diuersitatis in tali natura indiuidua: ex eo quòd diuersa quantitas, aut staturę magnitudo, relatio inæqualitatis: dissimilitudinis verò ex eo quòd disconueniant in qualitate, puta colore: & sic de alijs.

92. *Actio & passio* fundant relationem agentis ad passum, & passi ad agens. Est tamèn difficultas, an ratio ista fundandi sit potentia actiua & passiua: an verò actio & passio, an potiùs substantia ipsa, quę est principium radicale actionis & passionis: v. g. in relatione paternitatis an ratio fundandi sit potentia generatiua Patris; an generatio ipsa, an verò neutrum istorum, sed ipsa substantia patris.

93. Scotus 5. met. cap. 15. & in 4. dist. 6. q. 10. affirmat potentiam generatiuam propriè esse rationem fundandi paternitatem; generationem verò tantùm esse conditionem sine qua non. Fundamentum huius sententiæ est, quia ratio fundandi tandiù permanere debet, quandiù manet relatio, cuius est ratio fundandi: sed generatio transit manente paternitate: ergo non potest esse ratio fundandi illam. Restat ergo quòd sit potentia generatiua; siquidem hæc permanet, & est id, ratione cuius conuenit substantiæ hominis esse patrem.

94. Suarez verò disp. 27. met sect. 12. num 5. existimat ipsam substantiam, quæ est radicale principium generationis, esse rationem fundandi, non verò potentiam generatiuã, aut generationem. Quæ opinio eodem argumento suadetur; quia relatio paternitatis manere potest, tum absque generatione, vt dictum est, tum etiam absque potentia generatiua, quia si à Petro habente filium auferatur potentia generatiua, non propterea aufertur relatio paternitatis, vt patet: ergo ratio fundandi paternitatis neutrum istorum est, & consequenter erit substantia, quæ est radicale principium generationis, cum nihil aliud remaneat.

95. Tandem communiter Thomistæ censent, generationem ipsam, & non potentiam generatiuam, aut substantiam patris propriè esse rationem fundandi paternitatem. Quæ sententia vera est, & ad mentem Aristotelis, qui pro fundamento harum relationum assignat, non potentiam actiuam, & passiuam, aut substantiam; sed actionem & passionem, vt patet ex 5. met. vndè D. Th. 1. p. q. 28. art 4. dicit: *Secundùm Philosophum in 5. met. relatio omnis fundatur; vel supra quantitatem, vt duplum & dimidium; vel supra actionem & passionem, vt faciens & factum, pater & filius*. Et opusc. 48. cap. 4 expressiùs ait: *Fundamentum paternitatis est actio, scilicèt generatio, qua quis genuit filium, & fundamentum filiationis est passio, scilicèt generatio passiua*.

96. Ratio autem est: quia relatio non debet inhærere rationi fundandi, ita vt ipsa sit immediatum subiectum relationis; solùm enim est medium, seù ratio quarè relatio inhæreat substantiæ, quę est subiectum *quod* illius. Hęc autem ratio fundandi huius secundi generis multum differt ab alijs aliorum generum; nàm in primo aut tertio rationes fundandi sunt formæ perfectæ, nullum includentes motum, aut trãsitum; & ita permanenter, & quasi in facto esse sunt rationes recipiendi relationes. At verò in hoc secundo genere

genere rationes fundandi secum afferunt aliquem motum, aut transitum; siquidem requirunt actionem causæ efficientis. Quarè cum à causa efficienti, quando est vniuoca, vt in præsenti est pater respectu filij, solùm dependeat effectus, dùm fit, non verò in conseruari; inde est, rationes fundandi istarum relationum non debere permanenter, & quasi in facto esse esse rationes recipiendi illas, sed tantùm in fieri.

97. Cuius doctrinæ signum optimum est, quòd licèt ad hoc, vt inter duo alba sit relatio similitudinis, vel ad hoc, quòd inter scientiam & obiectum sit relatio mensuræ, necessaria fuerit productio extremorum (si enim aliquando facta non fuissent, non existerent in rerum natura, & consequenter neque realiter referrentur) tamen talis productio non petitur per se & intrinsecè à relationibus similitudinis & mensuræ. Nam si per impossibile illa alba, aut scientia & obiectum existerent absque productione, esset ibi similitudo, aut mensurabilitas eiusdem rationis, ac modò est. At verò paternitati, & alijs relationibus huius secundi generis ita per se & intrinsecè annexa est productio, & transitus, seù facere, & fieri, vt quantumcumque ponantur duo homines cum potentia actiua & passiua, vel cùm alia quauis forma permanenti; si tamen ab eis præscindamus actionem & passionem, seù generare & generari, non potest ibi intelligi paternitas aut filiatio. Et è contra si præscindamus alia omnia ab istis hominibus, etiam ipsam potentiam actiuam & passiuam, si tamen intelligimus actionem generandi, & passionem, seù generare & generari; statim intelligimus paternitatem, & filiationem. ¶ Ex quo intelligimus, in relationibus huius secundi generis rationem fundandi solùm esse necessariam in fieri, seù in primo produci relationis, & ità eas manere posse non existente ratione fundandi. Per quod patet ad argumenta adducta pro prima, & secunda sententia.

98. Denique *ratio mensurabilis* fundat in re, quę mensuratur, relationem ad propriam mensuram, hoc est ad id, per quod eius perfectionem cognoscimus, & veluti metimur. Vndè quia omnes potentię v. g. omnes actus & habitus mensurantur quoad suam perfectionem ab obiectis, itavt tantò perfectiores sint, quantò perfectius aut nobilius respiciunt obiectum, aut nobiliori modo illud attingunt; ideò dicunt relationem prædicamentalē ad illud, quæ dicitur relatio mensurati ad mensuram; ad mensuram inquam perfectionis, non enim hìc loquimur de mensura quantitatis, idest, perquam cognoscimus molem, & quantitatem rei; qualis est vlna respectu panni: inter hanc enim mensuram, & illud mensuratū intercedit relatio primi generis, scilicèt æqualitatis, vel inæqualitatis, fundata supra conuenientiam, vel disconuenientiam in magnitudine, non verò relatio huius tertij generis, hoc est mensurati ad mensuram perfectionis.

99. Circa secundum, scilicèt *quomodo relatio prædicamentalis distinguatur à fundamento*, communis & vera sententia docet, distingui realiter. *Ratio est*, quia fundamentum est quid absolutum: absolutum autem & relatiuum sunt realiter diuersa:

uersa: ergo relatio consistens in puro respectu ad aliud, realiter distinguitur à fundamento. *Confirmatur primò*, quia relatio potest perire remanente fundamento: ergo distinguitur realiter ab illo. Consequentia est euidens, quia separatio vnius ab altero est signum sufficiens distinctionis realis eorum. Antecedens verò probatur quia remanente albedine in pariete A. perit sine dubio relatio similitudinis, quam habebat ad parietem B. si hic desinat esse albus: atqui talis albedo erat fundamentum illius relationis: ergo remanente fundamento perire potest relatio. *Dices*: non perit realitas relationis, sed formalitas eius. *Sed contra*: quia illa formalitas, quę perit, vel est aliquid rationis, vel aliquid reale. Si aliquid rationis: ergo non perit aliquid, quod pertinet ad formalitatem relationis prędicamentalis, siquidem nullum ens rationis potest esse formalitas entis realis. Si autem illa formalitas est quid reale: ergo iam perit aliquid reale; & per consequens relatio & fundamentum distinguuntur realiter. *Rursus*, propria ratio relationis, quatenùs relatio est, seù quæ constituit hoc prędicamentum in esse talis, non potest consistere, neque intelligi absque termino, vt patet: sed talis ratio intrinsecè & essentialiter est quid reale, vt § I. ostensum est: ergo aliquid reale perit, pereunte termino. *Confirmatur secundò*, quia aliquę relationes fundantur immediatè in substantia, vt sunt relatio identitatis inter Petrum & Paulum fundata in natura specifica, & relatio diuersitatis inter eos fundata in differentia indiuiduali: in his relatio realiter distinguitur à fundamento, quia idem realiter nō potest simul esse substantia & accidens. Idem dicēdum est de alijs propter similem rationem, quia relatio & fundamentum pertinent ad diuersa prędicamenta: ergo distinguuntur realiter. Argumenta, quę contra hanc sententiam obijci solent, soluta sunt § I. huius dubij.

§ IIII.

Quis sit terminus relationis?

100. IN relatiuo, quod est terminus relationis, tria sunt, scilicèt subiectum, fundamentum, & relatio. Subiectum est res ipsa, quę denominatur relatiuū à relatione: Fundamentum est ratio, per quam conuenit in ea relatio: Et Relatio est forma, per quam res dicitur relatiua. Vt in patre est homo, qui denominatur Pater à relatione: est generatio, in qua fundatur relatio: & est relatio ipsa paternitatis. Ex his tribus certum est, subiectum non esse terminum relationis: difficultas est de alijs duobus; quodnā ex eis sit ratio, per quam pater terminet relationem filiationis. Nàm aliqui volunt esse fundamentum, & quia fundamentum est quid absolutum, ideò dicunt, relationem terminari ad absolutum, & non ad relatiuum. Alij è contra dicunt esse relationem, & consequenter terminum relationis non esse absolutum, sed relatiuum. Quid ego sentio, duabus conclusionibus explico.

101. Prima conclusio. *Relationes mutuę terminantur formaliter ad relatiuum; & consequenter relatio paternitatis in Patre excitet duo munera, seu officia, vnum id, ratione cuius*

Pater

Pater refertur ad filium; alterum id, ratione cuius idem pater terminat relationem filiationis. Est Aristotelis, & D. Th. in hoc cap de Relatione, & communis inter Thomistas. Prob. 1. Quia oppositio relatiua reperitur inter relatiua, vt relatiua sunt formaliter: ergo mutua relatio includit essentialiter mutuam oppositionem relatiuam: sed mutua oppositio relatiua essentialiter includit vtrãque rationem, referendi, & terminandi; ergo relatiua vtrumque officium exerceent per relationes, & non per fundamenta; quæ absoluta sunt. Probatur minor; quia mutua oppositio consistit in hoc, quòd relatiua mutuo se respiciant, & relationes sunt rationes mutuo se respiciendi: sed mutuo se respicere est, quodlibet respicere aliud, & ab eo respici: & ab eo respici, est terminare relationem eius: ergo in mutua oppositione includitur essentialiter vtrumque officium referendi, & terminandi: & ex consequenti, quòd vtrumque exerceant relatiua per relationes, & non per fundamenta; quia per relationes, & non per fundamenta, habent formalem oppositionem.

102. Probatur secundò argumẽto theologico desumpto ex diuinis relationibus. Supponendo prius duo tanquam certa. Primum est; relationem realem esse non posse, nisi inter extrema realiter distincta, quia nihil potest ad seipsum referri relatione reali. Secundum, in diuinis non posse vnum distingui realiter ab altero per aliquid absolutum, sed solùm per relationes oppositas. His suppositis probatur conclusio sic. In diuinis Pater refertur ad Filium, & Filius ad Patrem, vt realiter distinguuntur: ergo vterque terminat relationem alterius, vt realiter ab eo distinctus: sed Pater, & Filius non distinguuntur realiter, nisi per solas relationes oppositas: ergo nec refertur vnus ad alterum; nec terminat relationem alterius, nisi per relationem: ergo vt relatiuum, & non vt absolutum: sed eadem est ratio de relationibus diuinis, & creatis, quantum pertinet ad rationem referendi, & terminandi: ergo etiam relationes creatæ terminantur ad relatiuum, & non absolutum.

103. Secunda conclusio. *Relationes verò non mutuæ terminantur formaliter ad absolutum, non ad relatiuum*. Est contra aliquos Thomistas, eam tamen tenent plures alij, vt Ferrara 2. cont. gent. cap. 11. Deza in 1. dist. 3. q. Masius hic sect. 3 q 2. Gallego controuer. 29. Ioannes à S. Th. q. 17. art. 5. concl. 2. Mailhat disp. 7. sect. 3. §. 2. & alij. Probatur primò ex Aristotele loc. cit. tex. 5. vbi assignans quartam relatiuorum propietatem, quòd scilicet sint simul natura, expressè fatetur, eam aliquibus relatiuis non conuenire, scilicet non mutuis Quod etiam docuit D. Th. 1. p. qu 3. art. 7. ad 6. dum de relatiuis inquit: *Si autem vnum in sui intellectu claudat aliud, & non è conuerso, tunc non sunt simul natura: & hoc modo se habent scientia, & scibile*. Et q. 7. de potent. art. 8. ad 1. apertè fatetur, relatiua non mutua, vt Deum, & Creaturam, non esse simul natura. Ergo ex sententia Aristotelis, & D. Th. relatiua non mutua terminantur ad absolutum; quandoquidem si ad relatiuum formaliter terminarentur, iam essent simul natura, vt patet.

104. Probatur secundò ratione; quia relationes non mutuæ solùm

repe-

reperiuntur in vno extremo, aliud verò absolutum est: ergo hoc terminare non potest aliud nisi per rationem absolutam, non relatiuam. Negant consequentiam Complutenses disp. 14. q. 6. num. 79. quia quamuis (aiunt) in relatiuis non mutuis terminus à parte rei non habeat aliquã relationem sibi inhærentem, ratione cuius terminet: habet tamen relatiuam denominationem, à relatione alterius extremi prouenientem, per quam constituitur formaliter terminus, & correlatiuum illius. Nam dupliciter aliquid potest denominari formaliter relatiuum. Primò intrinsecè à relatione sibi inhærente. Secundo modo extrinseca denominatione à relatione existente in altero extremo; sicut in sententia constituente actionem transeuntem in passo, agens denominatur formaliter tale ab actione, quæ subiectatur in alio. Et hoc modo scibile, & alia relatiua non mutua dicuntur formaliter relatiua, non à relatione sibi inhærente, sed à relatione, quæ est in altero extremo. *Sed contra est*: Quia effectus formalis relationis est facere relatiuum; sicut effectus formalis albedinis est facere album: sed repugnat, aliquid esse album, nisi ab albedine sibi inhærente: ergo repugnabit esse relatiuum, nisi à relatione sibiinhærente. Falsum est ergo scibile denominari, aut esse relatiuum per relationem in scientia existentem. *Confirmatur*, quia relatio cum sit forma relatiua, non potest referre ad alterum, nisi illud, quod constituit relatiuum: sed constituere aliquid relatiuum, est tribuere illi proprium effectum formalem: sicut constituere album, est tribuere subiecto albedinem; & effectum formalem non tribuit forma, nisi per informationem: ergo repugnat aliquid constitui relatiuum, aut referri ad aliud, per relationem existentem in alio, & non in se. Ad id autem, quod dicunt de actione, respondeo sententiam illam esse falsam, & præcipuum fundamentum est, quia actio non potest esse in passo, & tribuere denominationem agenti, vt clarè ostendam lib. 1. de gener. & corrupt. disp. 1. dub. 4. num. 47.

105. Contra primam conclusionem obijci solet vnum, vel alterum argumentum. Primum est; nam relatio mutua aut postulat terminum relatiuum quia est relatio, aut quia est mutua: sed neutro modo postulat terminum relatiuum: ergo. Probatur minor, primò quòd non vt relatio; nam si vt relatio peteret terminum relatiuum, omnis relatio deberet illum habere: sed hoc est falsũ, nam relationes non mutuæ terminantur ad absolutum, & non ad relatiuum: ergo relatio mutua vt relatio non petit terminum relatiuum. Quòd autem cum non patat vt relatio mutua, probatur, quia relatio creaturæ ad Creatorem, & relatio Maternitatis B. Virginis ad Christum, sunt relationes ex genere suo mutuæ, & tamen non terminantur ad relatiuũ, sed ad absolutum: ergo. ¶ Respondetur concedendo primam partem minoris, quia relatio vt relatio est ad terminum abstrahentem ab absoluto, & relatiuo. Negando verò secundam partem, quòd *vt relatio mutua non petat terminum relatiuum*: quia relatio vt relatio consideratur tanquam genus, abstractum à mutua, & non mutua: sed vt relatio mutua consideratur in specie: certum est autem plura conuenire ali-

cui rei ratione suæ differentiæ, vel speciei; quæ non conueniunt ei ratione generis: & ideo conuenire potest relationi vt mutuæ, terminari ad relatiuum; licèt non conueniat ei sub communi ratione relationis. Et ad probationem dico, relationes illas esse non mutuas, quia relationes mutuæ non versantur, nisi inter extrema eiusdem ordinis: Deus autem, & creatura diuersi ordinis sunt, & ideo non habent mutuas relationes.

106. Ob. 2. Quia posito fundamento, & termino resultat relatio, vt communiter à Dialecticis dici solet: ergo ante illam intelligitur fundamentum integrè, & formaliter constitutum in esse fundamenti; & terminus in esse termini. Sed quidquid antecedit relationem est res absoluta: ergo etiam in relationibus mutuis terminus constituitur formaliter in esse termini per aliquid absolutum. ℣ Respondetur, quòd relatiua duobus modis considerari possunt. Materialiter, dum pro fundamentis accipiuntur, vt dum dicitur, hunc hominem album referri ad alium hominem album, aut generās ad genitum. Alio modo accipiuntur formaliter, prout significantur nominibus relatiuis, patris, & aut similis. Et sicut relatiua, sic etiam termini accipiuntur eisdem modis. Quando ergo dicitur à Dialecticis, ex positione fundamenti, & termini resultare relationem, ly terminus sumitur materialiter, non formaliter.

§. V.

De vnitate, & distinctione Relationum, ac earum proprietatibus.

107. DICO primò, Vnitatem specificam relationum desumendam esse tanquàm à causa integra, & totali, ab vnitate specifica tam fundamenti, quàm termini: distinctionem verò specificam à specifica alterutrius diuersitate. Probatur: quia vnitas specifica cuiuslibet naturæ sumitur ab vnitate formali sui specificatiui: atqui specificatiuum relationis est fundamentum simul, & terminus: ergo vnitas relationis specifica requirit vnitatem formalē fundamenti, & termini, itaut si alterutrum formaliter diuersificetur, diuersificetur etiam specie ipsa relatio. Probatur minor. Ab eo specificatur totaliter, & completè relatio, à quo in sua ratione essētiali depēdet: atqui dependet tam à fundamento, quàm à termino, cum sit essentialiter ordo vnius ad alterum, idest fundamenti ad terminum: ergo specificatur ab vtroque, & subinde ab vtroque simul sumit suam specificam vnitatem; à fundamento initiatiuè, à termino completiuè. Quod si alterutrum diuersificetur, diuersa etiam specie resurget relatio. Ratio autem cur ad vnitatem specificam relationis requiratur vnitas specifica tam fundamenti, quàm termini, ad distinctionem verò sufficiat diuersitas alterutrius, est quia vnitas habet rationem boni; quod ex integra causa, distinctio verò rationem mali, quod ex vnico defectu consurgit.

108. Dico secundò, Vnitatem, & distinctionem numericam relationis desumendam esse ex vnitate, vel distin-

stinctione numerica subiecti, cui inhærent. Probatur, quia vnitas, & distinctio materialis accidentium, vt sunt relationes prædicamentales, desumi debent ab vnitate, vel distinctione materiæ ipsorum, quæ est subiectum: atqui vnitas, & distinctio numerica est materialis; sicut specifica est formalis: ergo desumi debet ex vnitate, vel distinctione numerica subiectorum. Maior, in qua solùm est difficultas, prob., quia ab eo sumi debent vnitates specificæ & numericæ, à quo petuntur differentiæ indiuiduales, & formales: atqui differentia indiuidualis petitur à materia, & formalis à forma: ergo &c. De hac re in metaphysica latiùs dicemus.

109. Dices: In vno, & eodem homine esse possunt duæ relationes paternitatis, quæ solo numero distinguuntur: ergo vnitas, & distinctio numerica relationum non est desumenda ab vnitate, vel distinctione subiecti. Probatur antecedens; Petrus habens primum filium, superueniente secundo, incipit realiter referri ad illum: ergo in Petro datur noua relatio paternitatis, per quam refertur, & respicit hunc secundum filium. ¶ Respondetur negando antecedens; & ad probationem dico, quòd sicut acquisita scientia circa vnam conclusionem, quando habetur demonstratio circa aliam eiusdẽ obiecti, non aduenit nouus habitus, sed noua extensio præexistentis; per quam ille ipse habitus, qui antea inclinabat ad assentiendum primæ cõclusioni, denuo inclinat etiam ad assentiendum secundæ. Sic similiter in nostro casu, adhoc vt Pater habens filium, quando nascitur alius, dicatur de nouo respicere illum, non est necesse, vt addatur noua relatio realis, sed quòd præcedens quasi extendatur ex parte termini materialis ad nouum filium. Paternitas enim quæ est v. g. in Petro, non respicit per se primò hunc, vel illum filium in particulari, sed communem rationem filij à se geniti; & quia iste terminus per se primò respectus nũc participatur ab vno, postea à duobus, aut pluribus filijs; ideo relatio dicitur extrinsecè extendi, ex eo quod addatur nouus terminus materialis.

110. Dico tertiò, Relationis propietates esse quatuor. *Prima*, quòd non habeat contrarium. *Secunda*, quòd non suscipiat magis, & minus. *Tertia*, quòd relatiua dicantur ad conuertentiam, vt Pater est filij pater, & Filius est patris filius. Et *quarta*, quòd sint simul natura; & cognitione, quæ propietas conuenit solis relatiuis mutuis.

DVBIVM QVINTVM

De Prædicamento qualitatis.

111. NOMEN qualitatis varias habet acceptiones: Tres sunt præcipuæ, quas ex Aristotele 5. met. cap. 14. & 18. colligunt communiter DD. *Primo* sumitur pro quacumque differentia etiam essentiali, quo sensu differentiæ sæpe appellantur qualitates generis: & de istis dicitur, quòd prædicantur in quale. *Secundò* pro omnibus accidentibus, siue proprijs, siue communibus, siue huius, siue alterius prædicamẽti: quo modo de omni accidenti dicitur, quòd prædicatur in quale, non solùm quoad modum significandi, sicut differentiæ; sed etiam quoad

rem significatam. *Tertiò* tandem sumitur qualitas vt significat peculiare prædicamentum accidentis ab alijs condistinctum, à quo propriè, & simpliciter denominamur quales, & per quod resp. ad interrogationẽ factam per *quale*, vt distinguitur ab interrogatione facta per *quid*, *quantum*, *vbi*, *quando*, *&c.* Sicut enim si quæratur, quantus est Petrus, respondetur, est bicubitus, aut tricubitus: & si quæratur, vbi est Petrus, respondetur in Ecclesia, vel in Foro: ita quando quæritur, qualis est Petrus? respondetur per terminos huius prædicamenti: est albus, vel niger; Dialecticus, vel Philosophus, &c. Et in hac tertia acceptione loquimur in præsenti de qualitate, quam Aristoteles describit dicens: *Qualitas est, secundùm quam quales esse dicimur*: idest, qualitas est accidens, à quo res constituitur in esse qualis, & per quod propriè respondetur interrogationi factæ per quale. Diuiditur ab eodem Philosopho in quatuor species: quarum prima est, *dispositio, & habitus*. Secunda, *potentia, aut impotentia*, hoc est debilior potentia. Tertia, *passio, & patibilis qualitas*. Et quarta *forma, & figura*.

112. Habitus *est qualitas, secundùm quam res benè, aut malè se habet, difficilè mobilis*. Dispositio verò *est qualitas, secundùm quam res benè, vel malè se habet, facilè mobilis*. Quæ definitiones sic intelligi debent, vt habitus sit qualitas difficilè mobilis ex natura sua: dispositio facilè mobilis similiter ex natura sua à subiecto. Vndè illa qualitas, quæ ex natura sua est difficilè mobilis, ex accidentibus tamen; puta ex indispositione, vel debilitate subiecti facilè remoueri potest ab illo, vt scientia à yrone, gratia, charitas, aliæque virtutes supernaturales ab homine viatore ob instabilitatem arbitrij, essentialiter est habitus; è cõtra qualitas ex natura sua facilè mobilis, vt morbus, si per accidens, puta ob complexionem infirmi fiat difficilè mobilis, est essentialiter dispositio.

113. Potentia dicitur *principium forte, & validum agendi*, vt potẽtia visiua iuuenis. Impotentia verò in præsenti non est idem ac priuatio potentiç, sed (vt iam supra diximus) dicitur *principium debile agendi*, vt potentia visiua senis. Ex quo patet, potentiam, & impotentiam in ordine ad eundem actum, & obiectũ non distingui tãquam duas species, sed sicut perfectum, & imperfectum intra eandem, præsertim cum eadẽ potentia visiua, quæ modo est fortis, fiat successu temporis debilis.

114. Passio in præsenti dicitur *qualitas sensibilis cito transiens*: vt rubor ex verecundia. Patibilis verò qualitas dicitur *ea, quæ diu permanet in subiecto*: vt rubor à temperamento naturali insitus. Quia verò cito transire, vel diu in subiecto permanere, sunt differentiæ merè accidentales respectu qualitatis sensibilis; puta ruboris; inde est, quòd non faciunt essentialiter differre qualitatem patibilem à passione, sed solùm accidentaliter.

115. Dices: esse facilè, vel difficilè mobile à subiecto; sunt differentiæ essentiales, & specificæ, distinguentes habitum, & dispositionem: ergo similiter passio, & patibilis qualitas specificè distinguuntur; nam patibilis qualitas ex natura sua habet diù permanere in subiecto: & passio

passio habet ex natura sua citò transire. ¶ Respondetur negando consequentiam, & ratio disparitatis est, quia esse facilè, vel difficilè mobile competit habitui, & dispositioni ex natura suarum causarum, à quibus per se petunt produci: passioni verò & patibili qualitati non conuenit cito transire, aut diu permanere in subiecto ex natura causarum, à quibus per se postulant produci; accidentale quippe est rubori quòd producatur ab hac, vel illa causa permanente, vel cito transeunte; in vtroque enim casu eandem habet essentiam, & eundem effectum formalem, qui est constituere hominẽ v. g. rubicundum.

116. Denique forma, & figura non differunt essentialiter, sed solũ accidentaliter penes hoc, quòd forma est *qualitas disponens partes quantitatis in rebus artificialibus*, quo sensu dicitur forma turris, forma nauis, &c. Figura verò significat eandẽ qualitatem prout reperitur *in rebus naturalibus*, quo pacto dicitur figura hominis, figura leonis, &c.

117. Quantum verò ad propietates qualitatis. Prima est, *quòd habeat contrarium*, quæ intellecta de rigorosa contrarietate, conuenit soli qualitati, sed non omni, forma enim, figura, aut lux non habent contraria. Secunda est, *qualitatem suscipere magis, & minus*. Et hæc propietas etiam non conuenit omni, non enim conuenit figuræ, nec multis alijs; conuenit tamen soli qualitati, illa enim sola potest intendi, & remitti. Et licèt vna albedo non possit dici modò magis, modò minus albedo, quia hoc denotaret, dari magis, & minus in essentia ipsius, quod est falsum, cum rerum essentiæ in indiuisibili consistant; idem tamen subiectum potest dici modò magis, modò minus album secundùm eandem partem, eo quòd albedo potest in ea intendi, aut remitti. Tertia tandem eius propietas est, *quòd secundùm qualitatem res dicantur similes, aut dissimiles*, idest, quòd sit fundamentum relationum similitudinis, vel dissimilitudinis: sicut secundùm quantitatem res dicuntur æquales, vel inæquales. Et hæc propietas conuenit qualitati quarto modo.

DVBIVM SEXTVM.

De sex vltimis Prædicamentis.

118. PErpauca de his prædicamẽtis tradidit nobis Aristoteles, quia non magni momenti sũt, propterea etiã nos ea breuiter pertractabimus. Aliqui autem volunt, hæc sex vltima prædicamenta consistere in denominatione extrinseca, itavt *vbi* v. g. nihil aliud sit, quàm denominatio illa extrinseca, quæ prouenit substantiæ à superficie cõtinente; *quando*, à tempore mensurante; *habitus*, à veste adiacente, &c. Alij verò dicunt, consistere non in aliquo absoluto, sed in relatiuo, v. g. Vbi consistere in illo respectu, quem locus dicit ad locatum. Sed *vtraque sententia* est falsa, & vera docet, hæc sex vltima prædicamenta non esse puras denominationes extrinsecas, neque relationes, sed formas quasdam accidentales absolutas, & intrinsecas, relictas in subiecto ex aliquo extrinseco. Pro qua videri possunt Complutenses disp. 16. q. 1. Ioannes à S. Th. q. 19 art. 1. & alij Thomistæ.

119. Prima pars probatur; quia distinctio penes intrinsecam, & extrinsecam denominationem eiusdē formæ, non potest causare diuersa prima genera: ergo semel admisso numero denario prædicamentorum, non possunt hæc vltima constitui in pura denominatione extrinseca. Consequentia patet, & antecedens probatur, quia eadem omnino forma, quæ intrinsecè denominat subiectum, a quo est, per eundem effectum formalē, denominat extrinsecè terminum, quem respicit; animal enim esse videns, & parietem visum, non sunt duo effectus formales visionis, sed vnus tantùm, vt patet: ergo repugnat in tali forma, prout sic, esse duas essentias primò diuersas: & ex consequenti constituere plura prædicamenta.

120. Probatur secunda pars; quia propria ratio relationis est esse *ad*, seu accidens faciens respicere aliud: sed hoc nō cōuenit istis prædicamētis: ergo non sunt relationes. Probatur minor, discurrendo per singula. Nam in primis quatuor vltima prædicamenta ex propria ratione dicūtur esse *in*, siquidem Vbi facit rem esse *in* loco; Quando *in* tempore; Situs disponit partes *in* loco, & Habitus resultat ex eo, quòd vestis sit *in* corpore: ergo nullum istorum propriè loquēdo includit esse *ad*. De Actione etiam, & Passione idem patet, quia ex propria ratione non dicunt *ad*, sed Actio dicit esse *ab* agente, Passio verò in passo: ergo &c. ¶ Confirmatur: quia si hæc prædicamenta essent relationes, continerentur sub prædicamento relationis: ex quo sequitur genera suprema esse tantùm quatuor: atqui hoc est contra communem Philosophorum sententiam, vt dubio 1. concl. 2. huius disputationis vidimus: ergo hæc prædicamenta non sunt veræ relationes, sed entitates absolutę.

121. Tertia denique pars sequitur ex pręcedentibus: si enim hęc prędicamenta non sunt aliquid merè extrinsecum rebus, quę ab illis denominantur, neque relationes, erunt ergo entitates, aut formalitates absolutę intrinsecę illis rebus denominatis. Et licèt dependeant ab aliquo extrinseco, Vbi enim dependet à loco, Quando à tempore, & sic de alijs, vt infra explicabitur, hoc tamen non tollit, quin sint formę intrinsecę, sicut relatio dependet à termino, & tamen est forma intrinsecè inhærens subiecto.

De Actione, & Passione.

122. PRO notitia, & intelligentia quidditatis horum prędicamentorum, sciendum est, quòd in productione physica, v. g. in calefactione plura reperiuntur. Primò enim inuenitur substantia, seu suppositum ignis, cui vt *quod* tribuitur calefactio. Secundò potentia operatiua, scilicèt qualitas, per quam ignis constituitur potens, seu in actu primo ad calefaciendum. Tertiò effectus, nempè calor in ligno productus. Quartò motus medio quo passum, scilicèt lignum transit de non calido in calidum. Quintò mutua relatio prędicamentalis inter ignem, & lignum.

123. In nullo autem horum consistit essentialis ratio actionis, aut passionis. Nam in primis de substantia seu supposito, est per se euidens. Qualitas etiam, siue potentia operatiua, quamuis soleat appellari

actio

actio causaliter, quia est principium actionis; tamen certum est, in creaturis realiter distingui ab actione propriè, & essentialiter sumpta, vt probat Angelicus Doctor innumeris penè locis, quæ habentur in tabula verbo *actio* num. 1. Similiter certum est, actionem saltem formaliter non esse ipsum effectum, & idem est de passione, siquidem sunt distincta prædicamenta; de motu verò facilè conuincitur, cum non sit prædicamentum, sed post prædicamentum. Et tandem non consistere in relatione prædicamentali ignis ad lignum, ex dictis habetur, tum quia relatio est distinctum prædicamentum, tum etiam quia hęc resultat ex ipsa actione, & passione, & fundatur in eis. Ac proinde concedenda est alia realitas vel formalitas, à qua potentia operatiua constituatur in actu secundo, quæque sit causalitas ipsius agentis. Et similiter ex parte passi concedendum est aliquid, per quod potentia passiua fiat actu recipiens, seu quod sit actualis receptio effectus. Et in his realitatibus, seu formalitatibus consistunt essentiales rationes actionis, & passionis.

Ex quo iam facilè possunt formari definitiones actionis, & passionis. *Actio* enim *est causalitas causæ efficientis, vel actus secundus potentiæ operatiuæ, vel accidens, à quo res constituitur actu producens. Passio verò est actualis receptio termini, vel actus secundus potentiæ passiuæ, vel accidens, à quo res constituitur actu recipiens.* Hæc enim omnia inter se coincidunt, neque indigent noua explicatione.

125. Ex dictis infertur, specificationem actionis sumendam esse à principio, seu potentia operatiua: specificationem verò passionis à termino per actionem producto. Ratio est, quia actio, vt actio est, dicit essentialem ordinem ad agens, estque proprius actus potentiæ operatiuæ: passio verò, vt passio, est receptio termini, & ad illum essentialiter ordinatur: ergo actio à potentia operatiua, & passio à termino specificantur. Quare quando potentia operatiua fuerit vna in specie, actiones erunt eiusdem speciei, etiamsi termini sint specie diuersi. Similiter quandocumque termini fuerint specie distincti, passiones erunt diuersæ speciei, etiam si actiones sint eiusdem speciei.

De Prædicamento Vbi.

126. VBI *est circumscriptio corporis à circumscriptione loci proueniens.* Cuius definitionis sensus est, vbi esse accidens resultans in re locata ex eo, quod à loco continetur, mediòque quasi coæquatur, & proportionatur loco. Vndè si annihilato vniuerso, Deus crearet hominem, vanum esset quærere de illo, vbi esset, siquidem nullibi, quamuis verè existeret extra causas; non tamen esset in loco; & sic nullibi esset.

127. Vbi diuiditur in circumscriptiuum, & definitiuum. Vbi circumscriptiuum est, quod ita facit rem esse in loco, vt tota correspondeat toti loco, & partes eius partibus loci. Et hoc vbi dimanat à quantitate, reperiturque in solis corporibus, vt per se constat. Vbi verò definitiuum est illud, quod ita constituit rem in loco, vt tota sit in toto loco, & tota in qualibet parte

De

loc.

loci. Et hoc est proprium creaturarum spiritualium, Angelus enim, qui occuparet v. g. totam aulam, esset totus in tota, & totus in qualibet parte illius, cum careat partibus, & sit indiuisibilis.

128. Hic aliqui quæstionant, an vbi angelicum verè pertineat ad hoc prædicamentum. Et verior senteñtia, quam tenent communiter Thomistæ, est negatiua. Iuxta quam supremum genus huius prædicaméti est solùm vbi circumscriptiuum. Videatur Ioannes à S. Th. hic q. 19. art. 2.

De Prædicamento Quando.

129. Quando *est id, quod ex adiacientia temporis relinquitur*. ità definitur à D. Th. opusc. 43. quam definitionem omnes recipiunt. Sicut enim ex extrinseca circumscriptione loci resultat in re locata vbi, per quod formaliter dicitur esse in loco: sic ex insidentia extrinseca temporis mensurantis res temporales, resultat in eis quando, per quod formaliter dicuntur esse in tempore. Vnde sicut supponit ex parte rei locatæ quantitatem sibi intrinsecam, per quam sit apta, vt vbicetur, & supponit etiam locum, ex cuius extrinseca mensuratione resultat; ac proinde neque est quantitas rei locatæ, neque locus ipse, sed quid ex loco relicto in re quanta: Sic quando supponit durationem ex parte rei, quæ est in tempore; supponit etiam tempus ipsum, in quo fit res, & à quo mensuretur: ac proinde neque est duratio ipsa, neque tẽpus, sed quid relictũ in re durante ex eo, quod à tẽpore mensuretur.

130. Contra hanc doctrinam sentit P. Suarez disp. 50. met. sect. 12. vniuersaliter affirmans; quando nihil aliud esse, quàm intrinsecam rerum durationem, & persistentiam in suo esse. Hæc tamen sententia falsa est, quia duratio etiam ex principijs istius authoris, non est quid realiter distinctum à re, quæ durat, & ab eius existentia continuata: ergo est aliquid, quod diuagatur per omnia prædicamenta: ergo non potest prædicamentum hoc consistere in ipsa duratione. Confirmatur, quia non omnis existentia creata est accidens, vt patet in existentijs substantiarum creatarum, quæ sunt termini substantiales, & entitatiuè substantia: ergo si duratio est ipsa existentia continuata rei, nõ omnis duratio creata erit accidens prædicamentale; ac proinde non omnis pertinebit ad hoc prædicamẽtum: cuius oppositum ipse probat num. 22. ergo &c.

131. Respondet, durationem non esse verũ accidens rei durantis, prædicari tamen accidentaliter de re, quæ durat; & hoc sufficere, vt possit prædicamentum accidentis constituere: quia non omnia prædicamenta accidentium sunt vera accidentia, sed quædam sunt, quæ propter solam prædicationem accidentalem constituunt prædicamentum accidentis. Verùm hæc responsio plura continet, quæ in schola peripatetica sunt absurda: nam inprimis destruit diuisionem accidentis realis in nouem prædicamenta: Deinde confundit accidens prædicabile cum accidenti prædicamentali: Et tertiò collocat directè substantiã sub generibus accidentium.

De

De Prædicamento Situs.

132. Situm non esse speciale prædicamentum, docuerunt plures. Non est tamen, cur ob rem parui momenti à communi Aristotelis sententia discedamus, præcipuè cum explicari optimè possit, in quo differat ab vbi, & quid addat supra illud. Sciendum ergo est, modum illum, seu accidens, quod resultat in re locata ex circumscriptione corporis continentis, & appellatur vbi, solùm efficere vt res locata commensuretur loco, ita vt vna pars eius sit extra locum alterius partis: non tamen efficit tales partes habere ordinem, seu dispositionem respectu ipsius loci. Et ad hoc ponitur situs: Qui consequenter nihil est aliud, quàm dispositio illa, seu habitudo partium rei locatæ in ordine ad locum, & ideo definitur à D. Th. opusc. 48 quòd *sit positio, seu ordo partium in loco.*

De Prædicamento Habitus.

133. Moderni aliqui asserunt, hoc prædicamentũ esse quoddã accidens, ita disponens partes corporis, vt possit cõmodè vestiri, & cõsequenter tantùm reperiri in hominibus, quorum membra sic disposita sunt à natura, vt possint facilè indui: Iuxtà quam sententiam idem habitus perseuerat in quolibet homine: neque in suo esse dependet ab extrinseco indumento. Hæc tamen opinio falsa est, quia ad talem dispositionem, seu aptitudinem non requiritur aliud accidens preter figuram membrorum, duritiem, vel mollitiem eorum. Quare hac relicta sententia dico cum communiori, quòd sicut vbi est accidens resultans in re locata ex circumscriptione loci: sic habitus, vt constituit hoc prædicamentum, est accidens resultans ex adiacentia indumenti: vel accidens, ratione cuius rès dicuntur induté.

DVBIVM SEPTIMVM.

De postprædicamentis.

134. Postprędicamenta dicuntur affectiones quædam, seu proprietates consequentes ad prædicamenta, aut quæ inter ipsa ad inuicem comparata reperiuntur, in nullo tamen illorum ob suę entitatis debilitatem, & incomplementum directè collocantur: huiusmodi autem sunt quinque, *oppositio, prioritas, simultas, motus, & modus habendi.*

135. Oppositio alia est rerum, alia propositionum: de secunda egimus in summulis: de prima verò, quæ constituit hoc primum postprædicamentum, agemus hic. Ad eam verò exigitur in primis distinctio inter illa, quæ dicuntur opponi, idem enim nequit opponi sibi ipsi: hæc tamen distinctio non sufficit, sed insuper necessaria est repugnantia, ratione cuius ea quæ dicuntur opposita, eidem simul nequeant conuenire. Et sic oppositio latè sumpta definitur *repugnantia aliquorum, quæ simul eidem conuenire non possunt*: quo pacto comprehendit etiam disparata, quæ tantùm impropriè opposita sunt, *vt arbor & equus*. Oppositio autem strictè sumpta, prout diuiditur in quatuor genera oppositionum, scilicèt in oppositio-

positionem relatiuam, contrariam, priuatiuam, & contradictoriam, definitur *repugnantia determinata aliquorum inter se*. In hoc enim differt ab oppositione disparata, quòd hæc indifferenter respicit repugnantiam cum omnibus, cum quibus in essentia non conuenit; Oppositio verò strictè sumpta determinatam importat repugnantiam vnius extremi cum altero, cui directè opponitur: hoc modo album opponitur nigro, virtus vitio.

136. *Oppositio relatiua* est repugnantia, seù incompossibilitas duorum extremorum orta ex respectu seù relatione, quam inter se important: & quidem si relatio fuerit mutua, oppositio erit etiam reciproca; si verò relatio sit in altero tantùm extremo, oppositio relatiua erit non mutua. *Oppositio contraria* est repugnantia duarum formarum absolutarum & positiuarum, quæ sub eodem genere maximè distant, & ab eodem subiecto mutuò se expellunt: vt frigus & calor, albedo & & nigredo, virtus & vitium, quæ sub eodem genere qualitatis continentur. *Oppositio priuatiua* est repugnantia inter formam & carentiam eius in subiecto apto ad illam habendam: qualis oppositio est inter visum, & cæcitatem. Explicando hoc genus oppositionis fecit mentionem Aristoteles illius axiomatis, *à priuatione ad habitum non datur regressus*, per quod distinguit oppositionem priuatiuam à contraria; In contrarijs enim fit differenter mutatio ab vno ad aliud, vt dum subiectũ ex calido fit frigidum, & rursum ex frigido calidum: sed in priuatiuè oppositis, & si è vidente possit fieri cęcus; non tamen ex cæco videns. Tã-dem *oppositio* contradictoria est incompossibilitas inter ens, & non ens, vt cum dico, *homo*, *non homo*: quæ dicitur, & est omnium maxima oppositio, quia inter opposita contradictoriè non datur medium, sicut datur inter alia: nam inter contraria datur medium participans ex vtroque extremo, v g. tepidum ex frigido, & calido, vel saltem commune subiectum, cui possunt successiuè conuenire: inter priuatiua etiam datur commune subiectum, vt per se patet: & insuper inter eadẽ priuatiuè opposita, sicut etiam inter opposita relatiuè datur medium per negationem extremorum; puta lapis, qui nec est videns, nec cæcus, nec Pater, nec Filius: at verò inter cõtradictoria nullum tale datur medium, quodlibet enim est, vel non est.

137. Secundũ postprædicamentũ est *prioritas*, quæ est præcipuè triplex; alia *temporis*, alia *naturæ*, & alia *consequentiæ*. *Prius tempore* dicitur illud, quod antecedit aliud duratione aliqua reali, vt Adamus fuit prior Abele. *Prius verò natura* dicitur illud, quod est simul in eodem instanti reali cũ alio, est tamen prius illo in instanti rationis, & naturæ, quomodo rationale dicitur prius risibili. *Prius denique consequentia* dicitur illud, à quo ad aliud non valet consequentia, bene tamen ę contra, vt animal respectu hominis.

138. Tertium postprædicamẽtum est *simultas*, quæ pariter est triplex: vna *temporis*, quomodo rationale, & risibile sunt simul; altera *naturæ*, qualis reperitur inter relatiua, quę se mutuo ponunt, & destruunt. Et tertia, *consequentiæ*, quę est idem ac conuertibilitas, quę est inter illa, quę se

se mutuo inferunt: quomodo rationale, & risibile simul sunt.

139. Quartum postprędicamentum est *motus*, de quo latè agemus in libris physicorum. Et vltimum postprędicamentum est *habere*, seu *modus habendi*, qui est multiplex: primus est modus habendi *per inhærentiam*, quo pacto substantia dicitur habere accidens: secundus est *per continentiam seu inclusionem*, quomodo vas dicitur habere aquam: tertius *per possessionem*, vt homo agrum: quartus *per relationem*, vt pater filium: & quintus *per circumpositionem*, vt homo vestem, & arma, ex quibus resultat habitus, qui est vnum ex prędicamentis. Et hęc de prima parte Logicę.

SECVNDA PARS LOGICÆ.

De secundis intentionibus, quibus dirigitur secunda operatio intellectus.

EXplicatis secundis intentionibus, quarum notitia dirigitur prima operatio intellectus, progredimur ad eas, quæ dirigunt secundam: hęc autem dirigitur per notitiam propositionis, & aliorum ad ipsam spectantium; quia verò in summulis sufficienter explicuimus, quid & quotuplex sit propositio, & omnes eius propietates, ideò ne eadem iterum repetamus, hìc solùm de eius veritate, & falsitate agimus. Sit igitur.

DISPVTATIO VI.

De veritate, & falsitate propositionis.

VEritas duplex est, alia *trascendentalis*, quæ cum sit passio entis, ad Metaphysicam spectat, in qua nos de illa agemus. Alia *formalis*, quę reperitur in propositione, seu iudicio intellectus; & de hac loquimur in præsenti.

DVBIVM PRIMVM.

Quid sit veritas, & falsitas in propositione?

1. DIco primò; veritatem propositionis consistere in eius conformitate cum obiecto cognito, falsitatem verò in nonconformitate cum illo. Et probatur, quia vt ait Philosophus in prædicam. cap. de substant. *ex eo quòd res est, vel non est, propositio vera, vel falsa est*: ergo propositio denominatur vera vel falsa, à conformitate, vel nonconformitate ipsius ad obiectum: ergo in huiusmodi conformitate vel nõconformitate veritas aut falsitas eius consistit. ¶ Confirmatur, quia veritas in propositione vocali consistit in immediata conformitate vocis significantis ad rem significatam. Et imago v. g. Cęsaris tunc dicitur vera imago, quando repræsentat illum prout est in se immediatè, vnde illius veritas consistit in conformitate immediata inter repræsentationem imaginis, & rem ipsam repræsentatam. Ergo similiter illa propositio dicitur vera, quæ immediatè commensuratur suo obiecto; illa verò falsa, quæ non commensuratur illi.

 2. Di-

2. Dico secundò ; Hanc commensurationem, seu conformitatē ad obiectum, in qua veritas formalis propositionis consistit, non esse relationem aliquam siuè prædicamentalem, siuè rationis. Prima pars probatur ; quia propositio intelligitur vera priusquam intelligatur consurgere relatio illa prædicamentalis : ergo talis relatio non intrat in formali conceptu veritatis. Prob. antecedens ; realatio prædicamentalis non consurgit, nisi posito fundamento & termino : sed propositio formalissimè vera est hoc ipso quòd ponitur tale fundamentum & terminus, ita vt si per impossibile impediretur resultantia relationis, adhuc vera esset, quia esset conformis obiecto, in qua conformitate relatio illa fundatur : ergo intelligitur vera priusquam intelligatur consurgere dicta relatio.

3. Hoc argumentum de relatione reali probat etiam de relatione rationis: nam sicut illa consurgit posito fundamento, & termino, ita hæc fingitur per intellectum, supposito eo, quod per modum fundamenti, & termini interuenire potest : sed ex vi eius, quod supponitur ad talem relationem, vel fictionem, propositio est vera : ergo talis relatio non intrat formaliter conceptum veritatis. ¶ Confirmatur, quia à parte rei antecedenter ad omnem fictionem intellectus propositio est vera : ergo veritas illius non potest consistere in aliqua relatione rationis. Consequentia patet, Antecedēs verò probatur, quia propositionem esse veram nihil aliud est, quàm esse conformem obiecto, sicut ipsum est à parte rei : sed totū hoc datur ante fictionē intellectus, quia ante illam, & Petrus affirmat Ioannem currere, & Ioannes de facto currit : ergo &c.

5. Dico tertiò, Hanc conformitatem esse propositionem ipsam, seu iudicium intellectus cōnotando obiectum ita se habens, sicut per talem propositionem, seu iudicium intellectus cognoscitur. Ita P. Suarez tom. 1. met. disp. 8. num. 9. & alij. Ratio est, quia per hoc, quod iudicium intellectus connotet obiectum ita se habens, sicut cognoscitur, illud iudicium erit verum; falsum verò si obiectum connotatum non ita se habeat, sicut cognoscitur: ergo solùm in his veritas, vel falsitas consistit. Contra hanc conclusionem obijci solent aliqua argumēta, quæ quia leuia sunt, relinquo.

DVBIVM SECVNDVM.

In qua propositione reperiatur veritas?

5. NOTO, in intellectu nostro dari tria genera propositionum. Primum est illarum, quæ vocantur appræhensiuæ : vt quando intellectus noster habet plures conceptus ordinatos per modum propositionis, non tamen iudicat de illis. Et hoc genus solet contingere in illis hominibus, qui audiunt, vel legunt aliquam propositionem, absque eo quod ferant iudicium de obiecto illius. Secundum genus est illarum propositionum, quæ vocantur compositiuæ, & diuisiuæ imperfectè, in quibus licèt sit aliquale iudicium, est tamen imperfectum, & non omninò formatum. Tertiū

tan-

tandem genus est illarum propositionum, in quibus fertur perfectum, & formatum iudicium de obiecto, afferendo indubitanter, ac omnino firmiter, hoc esse hoc. His positis.

6. Dico primò, Veritatem formalem reperiri non posse in propositione purè apprahensiua. Hæc assertio est ferè communis. Probatur primò à pari; nam sicuti aliquis nõ dicitur mendax in verbis, nisi aliquod falsum assertiuè proferat, ita non dicitur falsus in mente, nisi mentaliter intelligat assertiuè falsũ: sed intellectus ex vi propositionis purè apprehensiuæ nihil assertiuè dicit, sed solùm simpliciter apprahendit terminos illius propositionis: ergo respectu talis propositionis nunquam dicetur falsus, neque verus, quia contraria nata sunt esse circa idem.

7. Probatur secũdò à priori Quia propositio illa purè apprahensiua solùm est in prima operatione intellectus: sed in prima operatione intellectus non reperitur veritas formalis: ergo neque in propositione purè apprehẽsiua. *Maior patet*, nam ideo propositio illa dicitur appræhensiua, quia solùm attingitur à simplici apprahensione intellectus. Vnde propositio illa non est propositio propriè dicta, sed solùm materialiter, & secundùm apparentiam dicitur propositio, inquantum includit terminos ad modum propositionis ordinatos; quamuis prædicti termini propositionem formalem non conficiant, quia non attinguntur per aliquem actum, qui habeat vim eos connectendi, & copulandi: sed per simplicem apprehensionem eos cum illo ordine attingentem. *Minor verò probatur*; quia veritas formalis est perfecta adæquatio intellectionis cum re intellecta: in simplici autem apprahensione non reperitur hæc perfecta adæquatio cum re intellecta; quia per simplicem apprahensionem non cognoscitur, quæ prædicata conueniant rei, quæ verò nõ conueniant: ergo non potest veritas formalis reperiri in simplici apprahensione. *Confirmatur*; quia veritas formalis est vltima perfectio intellectus, cum intellectus solùm tendat ad cognitionem sui obiecti sicuti in se est: ergo reperiri debet in perfectissima operatione illius: sed simplex apprahensio non est huiusmodi, cum ordinetur ad iudicium: ergo in ea veritas formalis reperiri non potest.

8. Dices: si ideo veritas formalis reperiri non potest in simplici apprahensione, quia simplex apprahensio ordinatur ad secundam operationem intellectus, sequitur quòd neque in secunda reperiri possit, quia hæc ordinatur ad tertiam. ¶ Respondetur negando sequelam, & ad probationem dico, quòd non solùm simplex apprahensio, verùm etiam discursus ordinatur ad secundam operationem intellectus, quia intellectus non discurrit, nisi vt formet perfectũ iudicium de re: & sic omnes operationes intellectus ministrant, & inseruiunt iudicio, tanquam perfectissimæ eius actioni.

9. Dico secundò, veritatem formalem reperiri in iudicio perfecto perfectè, & in iudicio imperfecto imperfectè. ità Aristoteles 6. met. apud D. Th. lect. 4. & omnes communiter. Probatur, quia veritas formalis reperitur in eo actu, qui habet adæquationem, & conformitatem

tatem cum obiecto: sed in iudicio, quod intellectus format de obiecto, habetur huiusmodi adæquatio, & cõformitas actus cum obiecto: ergo in iudicio perfecto perfectè, & in imperfecto imperfectè reperitur veritas formalis. Probatur minor; quia in iudicio repræsentantur gradus obiecti, eo modo quo sunt à parte rei, idest, vt vniti, & copulati, quia repræsentantur, quatenùs connectũtur simul per verbum copulatiuum, & vnitiuum prædicati cũ subiecto: ergo iudicium habet adæquationẽ, & conformitatem cum obiecto cognito. Noto, quòd loquor de iudicio in facto esse, seu prout non cõtradistinguitur à verbo, quod habet repræsentare rem sicuti in se est: nã iudicium vt contradistinctum à verbo, non est repræsentatiuum, vt dicam in libris de anima.

DVBIVM TERTIVM

Vtrum falsitas in solo iudicio intellectus reperiri possit?

10. PRima conclusio. In simplicibus conceptibus, seu actibus cognoscendi, siue intellectus, siue sensus, non est propria falsitas. Hæc conclusio est Aristotelis lib 3. de anim. c. 6. & latiùs lib. 9. met. c. 12. Et probatur à priori notando prius, quòd falsitas inter ea versari debet, inter quę versatur veritas: sunt enim opposita: veritas autem versatur inter cognitionem & rem, quę est obiectum eius: vnde quamuis cognitio habeat disconuenientiã cum re, quę non est obiectum illius, illa non potest denominari falsitas. Hinc ergo conficitur argumentum, nam simplex apprehensio, seu cognitio non potest habere difformitatem cum re, quę est obiectum eius, esto possit esse difformis alijs rebus: ergo non potest in illa esse falsitas. Antecedens declaratur in hunc modum, quia cum habitudo huius cognitionis ad obiectum sit simplex, seu per simplicem repręsentationem, non potest esse difformis rei tanquam obiecto repręsentato: quia aut talis res repręsentatur per talem actum cognitionis, vel non? si non repręsentatur, non est obiectum, & ita respectu illius non erit falsus talis actus. Si verò repręsentatur per illum, erit conformitas inter illa, quia necesse est, repręsentans & repręsentatum habere inter se conuenientiam: ergo etiam respectu illius obiecti non erit falsus talis actus: ergo respectu nullius obiecti potest huiusmodi actus habere falsitatem.

11. Dices, posse huiusmodi actũ repręsentare rem, non tamen sicuti est: & ideo posse respectu obiecti sui esse falsum. Sed contra est, quia in repręsentatione per simplicem actum vna res non attribuitur alteri, sed simpliciter res aliqua repręsentatur: ergo vel repręsentatur sicuti est, vel non est illa, quę repręsentatur. Itaque non est dubium, quin interdum sensus (& idem proportionaliter est de intellectu) apprehendat rem exteriorem aliter, quàm in se existat. Quo fit vt non tàm illam, quàm aliam loco illius apprehendat, & ideo dicimus non proprìè falli, quia ipse non attribuit illam suam apprehensionem rei in se existenti, sed simpliciter illud obiectum sibi repræsentatum apprehendit. Et quamuis Arist. dicat, sensum falli circa sensibile commune,

aut

aut per accidens circa proprium, tamen non intelligit, falsitatem proprie sumptam in ipsa simplici appræhensione reperiri, sed esse in his appræhensionibus occasionem erroris, & deceptionis, & indè falsas nominari. Sic etiam intelligendus est D. Th. 1. p. q. 17. art. 3. vbi dicit, falsitatem per accidens reperiri posse in appræhensione: quia accidere potest, quòd simplex appræhensio subministret terminos, ex quibus iudicium efformet aliquam propositionem falsam.

12. Secunda conclusio. Falsitas propriè reperitur in compositione, & diuisione intellectus. Hæc est cõmunis, & recepta sententia Arist. D. Th. & aliorum. Et probatur ratione à priori: quia in huiusmodi compositione, & diuisione potest reperiri propriè difformitas inter cognitionem, & rem, quæ est obiectum eius: ergo & falsitas. Antecedens probatur, quia quando intellectus componit ea, quæ in re non sunt coniuncta, habet pro obiecto adæquato vnionem, seu coniunctionem vnius extremi cum alio. Vndè ipsa etiam extrema in actuali obiecto complectitur, vnum vt materiam seu subiectum, cum quo aliud comparat, & iudicat habere cũ illo coniunctionem, & consequenter in actu exercito iudicat conceptum vnius habere conformitatem cum alio: ergo quando inter illa extrema non est illa coniunctio seu cõformitas, quam intellectus iudicat, discordat iudicium ab obiecto suo: ergo in illo est propria, & rigorosa falsitas.

13. Hinc intelligitur differentia inter conceptus simplices, & iudicium compositionis, & diuisionis: nam conceptus simplex solùm repræsentat obiectum, & non dicit ita esse in re, vel non esse. At verò iudicium quia iudicat obiectum aut habere quod nõ habet, aut nõ habere quod habet; ideo in eo inuenitur propria falsitas, non autem in simplici conceptione.

DVBIVM QVARTVM

Vtrum eadem propositio possit esse simul vera, & falsa; vel saltem mutari de vera in falsam?

14. PRima conclusio. Non potest eadem propositio esse simul vera, & falsa. Est communis, & probatur euidenter; quia ex eo quòd res sit vel non sit, propositio est vera vel falsa; e. g. propositio dicens *Petrus currit*, est vera, eo quod Petrus currat, est falsa, eo quod Petrus non currat: sed non potest eadem res simul esse, & non esse, e. g. non potest Petrus simul currere, & non currere: ergo non potest eadem propositio esse vera simul, & falsa.

15 Secunda conclusio. Eadem entitatiuè propositio transire potest de vera in falsam. Est Aristotelis in prædicamentis cap. de substantia, vbi sic ait: *eadem autem oratio vera & falsa videtur esse, veluti si vera sit oratio, sedere quempiam, eo surgente eadem falsa erit: Similiter de opinione, si quis verum putet aliquem sedere, surgente ipso falsum putabit, eandem de ipso opinionem habens*. Et licèt aduersarij respõdeant, Aristotelẽ dare solùm, sed non concedere ex propria sententia, quòd possit eadẽ opinio mutari de vera in falsam: tamen S. Th. 1. p. q. 14. art. 15. ad 3. & ibi putat, Aristotelem id doce-

re

re ex propria sententia; Cum enim retulisset quandam opinionem Nominalium, sic argumentatur: *Sequeretur, quòd propositio, quæ semel est vera, esset semper vera, quod est contra Philosophum, qui dicit, quod hæc oratio, Socrates sedet, vera est eo sedente, & eadem falsa est eo surgente.* Vnde hæc conclusio communis est inter Thomistas.

16. Probatur ratione allata ab Aristotele, & D. Thoma locis citatis. Nam hæc propositio entitatiuè sumpta, *Petrus sedet*, est vera dum Petrus sedet; quando verò surgit, & non sedet, est falsa: ergò transit de vera in falsam. ¶ Confirmatur, idem actus voluntatis entitatiuè sumptus potest transire de bono in malum: ergo etiam idem actus intellectus entitatiuè sumptus potest transire de vero in falsum. Consequentia patet à paritate. Antecedés verò probatur; tandiu actus voluntatis potest manere idem entitatiuè, quandiu eius obiectum perseuerat sub eadem ratione obiecti physici: sed potest obiectum manere omnino idem, & sub eadem propositione in esse physico, & nihilominus actus mutari de bono in malum: ergo &c. Probatur minor; si aliquis tempore non dum prohibito proponeret sibi hoc obiectum, quod est *vesci carnibus ad naturalem corporis sustentationem*, & continuaret illam propositionem tempore prohibito, prædictum obiectum maneret idem, & sub eadem propositione in ratione obiecti physici; quippe semper maneret propositum voluntati, vt vtile ad naturalem corporis sustentationem: & nihilominus variaretur de bono in malum: ergo &c.

17. Contrariam sententiam tenēt aliqui, inter quos est nostêr Stephanus Spinula in libris de anima disp. 4. sect. 9. sentiens, neque per diuinam potentiam propositionem semel veram posse mutari in falsam; Fundamentum huius sententiæ est: Quia si aliqua propositio posset mutari de vera in falsam, maximè propositio de obiecto contingente, e.g. hæc *Petrus currit*, quæ si duret per aliquod spatium temporis, & in prima parte illius temporis Petrus currat, in secunda cessat à cursu, in prima parte temporis erit vera, in secunda erit falsa: sed neque hæc propositio, nec aliæ similes possunt mutari de veris in falsas: ergo &c. Minor probatur; quia si hæc propositio affirmat, quòd Petrus currit pro toto tempore quo durat, semper est falsa, quia semper est falsum, quòd Petrus currat toto tempore, quo durat talis propositio: Si affirmat, quòd currit in aliqua parte temporis, quo durat propositio, non determinando talem partem, semper est vera, quia semper est verum, quòd Petrus currit in aliqua parte temporis, quo durat propositio: Si denique dicat, quòd currit pro aliqua parte temporis determinata, si currit in tali parte, semper est vera, si non currit, semper est falsa: ergo nunquam mutatur de vera in falsam;

18. Respondetur negando minorem; & ad probationem dico, quòd propositio affirmat Petrum currere eo instanti, quod de facto præsens est propositioni; de materiali autem se habet, hoc vel illud instans esse præsens propositioni: sicut de materiali se habet in actu volendi comedere carnes, quòd tempore, quo durat, sit vel non sit prohibitio Ecclesiæ: Et quia in priori instanti Petrus

trus currit, & in posteriori non currit, ideo propositio prius est vera, & postea falsa. Similiter quando dico, *omnes qui sunt in templo D. Petri deuote orant*, ista propositio, si Franciscus est in dicta Ecclesia, illum significat, si verò non est Franciscus, sed Martinus, significat Martinum, & non Franciscum. Sic propositio, *Petrus currit*, tempore quo durat, significat instans sibi præsens, & si præsens est hoc instans, hoc significat, si verò aliud instans, illud aliud significat; vnde hæc variari possunt manente eadem propositione: & quia in vno Petrus de facto currit, & in altero non currit, ideo propositio eadem manens de vera mutatur in falsam.

DVBIVM QVINTVM.

Vtrum in propositionibus de futuro, contingenti sit determinata veritas?

19. PArtem affirmatiuam tenent communiter Recentiores extra Scholam D. Thomæ. Sententiam tamen negatiuam (quam verissimam puto) expresse tradit Aristoteles hìc 1. de interpret. cap. 8. vbi loquens de futuris contingentibus, quà talibus, & prout continentur in suis causis, sic ait: *In ijs igitur, quæ sunt, & fuerunt, necesse est, affirmationem, vel negationem, vtram vel falsam esse. In singularibus autem, atque futuris, non similiter sese res habet, &c.* Quæ verba exponens D. Th. ibidem lect. 13. hæc scribit: *In præteritis, & præsentibus necesse est, quòd altera oppositarum determinatè sit vera, & altera falsa, in quacumque materia: sed in singularibus quæ sunt de futuro, hoc non est necesse quòd vna sit determinatè vera, & altera falsa; & hoc quidem dicitur, quantum ad materiam contingentem.* Idem docet in 1. sent. dist. 38. q. 1. art. 5. ad 2. his verbis: *Futurum contingens non est determinatè verum antequam fiat, quia non habet causam determinatam.* Et q. 16. de malo art. 7. *Ea*, inquit, *quæ sunt ad vtrumlibet, non possunt præcognosci in suis causis determinatè, sed sub disiunctione: vtpote quia erunt, vel non erunt, sic enim habent veritatem.*

20. Ex quo colligitur, aliquos Recentiores, non solùm malè de Aristotele mereri, sed etiam in D. Thomam grauiter peccare, dum asserũt Aristotelem errasse, in eo quòd docuit, propositionum contradicẽtium de futuro contingenti, neutrã esse determinate veram, vel falsam: quia (inquiunt) per hoc certam, & infallibilem futurorum contingentium præscientiam Deo denegauit. Patet, inquam, hanc responsionem non solùm esse friuolam, sed etiam S. Doctori iniuriosam. Si enim in hoc errasset Aristoteles, non debuisset S. Th. ei adherere, eiusque sententiam sequi, sed potius illum corrigere, ac emendare. Præterquam quòd malè omnino discurrunt isti Authores, dum ex eo, quòd Aristoteles docuit, contradicentium de futuro contingenti, neutram esse determinatè veram, vel falsam, inferunt illum Deo certam futurorum notitiam abstulisse. Aliud enim est, quòd Deus futura contingentia ante decretum, & determinationem suæ voluntatis non cognoscat, cum pro eo priori non sint determinatè vera, nec proinde cognoscibilia; &

aliud quòd ea absolutè non præsciat, nec præuideat.

21. Non valet etiam aliorum responsio, qui dicunt Aristotelem, & D. Thomam non negare vnam ex propositionibus contradictorijs de futuro contingenti esse determinatè veram quoad se, & respectu intellectus diuini, sed solùm quoad nos, & respectu intellectus humani, cui talis veritas occulta, & incognita est. Non valet, inquam, hæc elusio, quia Aristoteles, & D. Th. non aliam reddunt rationem, quare neutra ex propositionibus contradictorijs de futuro contingenti sit determinatè vera, vel falsa, nisi quia futurum contingens non habet esse determinatum in suis causis, vt patet ex verbis D. Th. in 1. dist. 38. qu. 1. art. 5. ad 2. supra relatis, ait enim: *Futurum contingens non est determinatè verum antequam fiat, quia non habet causã determinatam*. Sed hæc ratio probat, futura contingentia non habere veritatem obiectiuam determinatã ante decretum, etiam quoad se, & respectu intellectus diuini: ergo prædicta interpretatio non est legitima.

22. Ratio autem potissima huius sententiæ est: quia omnis veritas obiectiua determinata, debet fundari in aliquo esse, nam *ex eo quòd res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa*. Vel ergo veritas obiectiua futurorum contingentium ante decretum, fundatur in esse quod habent in se, vel in esse quod habent in suis causis? Neutrum dici potest: ergo nullam habent veritatem obiectiuam ante decretum. Minor quantùm ad primam partem constat: cōtingentia enim, quandiu sunt futura, non sunt in se, vt patet: ergo veritas obiectiua eorum, si quam habent, non potest fundari in esse quod habeant in se. Probatur verò quantùm ad secundam. Nulla res futura habet esse certum, & determinatum in causa indifferenti, & impedibili: sed ante decretum omnis causa libera, & contingens, est indifferens, quia prima eius terminatio prouenit à diuina voluntate: & adhuc admisso, non tamen concesso, quòd primò à seipsa determinetur, est impedibilis saltem à Deo. Ergo ante decretum futurum contingens non habet esse certum, & determinatum in suis causis.

23. Ob. 1. Vis contradictionis exigit, vt vna ex contradictorijs sit determinatè vera, & altera determinatè falsa: At istæ propositiones, *Petrus cras disputabit, & Petrus cras non disputabit*, sunt contradictoriæ: ergo vna illarum est determinatè vera, & altera determinatè falsa; & consequenter Deus cognoscere potest, quænam illarum sit vera, quæ verò falsa. ¶ Respondetur distinguendo maiorem: vis & natura contradictionis exigit, vt vna ex contradictorijs sit determinatè vera, & altera falsa; *vna determinatè formaliter*, concedo; *vna determinatè materialiter*, nego. Sensus distinctionis est, ex contradictione prouenire, quòd de facto vtraque propositio nunquam sit vera, vel vtraque falsa, sed quòd si vna sit vera, altera debeat esse falsa: quòd verò hæc materialiter, & in indiuiduo sit vera, determinatè præ alia, hoc non prouenit ex contradictione, sed vel ex materia, vt in propositionibus necessarijs, vel ex determinatione præsentialitatis, aut præteritionis, vt in propositionibus de præsenti, & præterito, aut ex determinatio-

natione causarum, vt in propositionibus de futuro contingenti: vnde antecedenter ad decretum, quod est determinatio causæ primæ, nulla potest esse determinatè vera, vel falsa: sed vna tantùm indeterminatè, & sub disiunctione, eo fere modo, quo alter oculus dicitur necessarius ad videndum, ly *alter* non supponit determinatè pro aliquo in indiuiduo, sed determinatè pro aliquo, quicũq; ille sit, vel dexter vel sinister.

24. Ob. 2. Si Petrus hodie disputat, hæc propositio, *Petrus disputat* est determinatè vera: ergo heri hæc alia propositio, *Petrus disputabit*, fuit etiam determinatè vera. Patet consequentia; quia vtraque propositio est conformis suo significato; nam si disputatio præsens habet nunc esse determinatum de præsenti: ergo heri habuit esse determinatum de futuro. ℣ Respondetur hoc argumentum nõ vrgere contra nostram sententiam, nam ideo hodie hæc propositio, *Petrus disputat*, est determinatè vera, quia adest præsentialitas talis disputationis: heri autem erat futura talis disputatio, quia manebat determinata à diuino decreto; quod si à diuino decreto præscinderetur, nullo modo habuisset futuritionem, quia neque in se, neque in causa eius esse fuisset determinatum, vt iam ostensum est.

25. Ob. 3. Veritas, & falsitas sũt propietates propositionis: At determinatæ essentiæ conuenire debent determinatæ propietates: ergo veritas, & falsitas debent conuenire propositionibus de futuro contingenti. ℣ Respondetur distinguendo maiorem: Veritas & falsitas sunt propietates propositionis, *propieta es respectiuæ*, concedo; *absoluta* nego. Similiter distinguo minorem: Determinatæ essentiæ conuenire debẽt determinatæ propietates, *si sint absolutæ*, concedo; *si sint respectiuæ*, nego. Explicatur: sicut æqualitas vel inæqualitas sunt propietates quantitatis, non absolutæ, sed respectiuæ: quia vna quantitas dicitur æqualis per ordinem ad alteram cui commensuratur, & inæqualis per ordinem ad aliam, quam excedit, vel à qua exceditur. Ita similiter veritas, & falsitas sunt propietates propositionis, non absolutæ, sed respectiuæ; quia sumuntur per ordinem ad obiectum, & ex conformitate, vel difformitate, quam habent ad illud: vnde sicut si daretur vna tantùm quantitas, neque esset æqualis, sed indifferens ad vtrumque: ita si detur aliquod signum rationis, in quo obiectum propositionis de futuro contingenti, non sit determinatè futurum, vel non futurum, illa etiam in tali signo non erit determinatè vera, vel falsa, sed non vera, & non falsa. idest indifferens ad veritatem & falsitatem.

26. Ex dictis infertur, Deum certò cognoscere futura contitingẽtia solùm in decreto suæ voluntatis; nam si non potest ea certò cognoscere ante decretum in eorum veritate obiectiua, vt ostensum est, euidenter sequitur, solùm ea cognoscere in decreto prædefiniente eorũ futuritionem: Quilibet enim effectus potest certò cognosci in causa, ex qua infallibiliter sequitur: ex decreto autem efficaci diuinæ voluntatis, tãquam ex causa infallibili sequuntur omnia futura contingentia, vt tom. 1. Theol. tract 3. latiùs ostendemus. Et hæc de secunda parte Logicæ.

TERTIA PARS LOGICÆ;

De secundis intentionibus, quibus dirigitur tertia operatio intellectus;

SECVNDÆ intentiones, quarum notitia dirigit, & perficit tertiam operationem intellectus, sunt syllogismus, figura, argumentatio, & his similia, & sic hæc omnia pertinent ad hanc tertiam partem Dialecticę; tamen quia de eis plura iá diximus in summulis: & ex alijs multa parum necessaria videntur: ideo hìc solùm de demonstratione tractabimus, eiusque effectu, qui est scientia; sit igitur.

DISPVTATIO VII.

De Prærequisitis ad demonstrationē.

1. *Dubitatur primò* in hac disputatione Quomodo intelligenda sit illa propositio Aristotelis: *Omnis doctrina, omnisque disciplina intellectiua fit ex præexistenti cognitione?* Hæc propositio variè solet explicari à DD. Quidam enim eam extendunt ad omnem cognitionem intellectus, tam simplicem, quàm compositam. Cum enim discursus fiat ex antecedenti iudicio; & iudicium præsupponat apprehensionē; & hæc requirat cognitionem sensuū: semper verificatur, quamcumque cognitionem intellectus fieri ex alia prędexistenti cognitione. Et hunc, inquiunt, esse sensum dictæ propositionis. Alij verò illam accommodant ad solas cognitiones compositas intellectus, tàm secundæ, quàm tertiæ operationis; itavt sensus sit, omnem cognitionem intellectiuā, tam discursiuam, quàm iudicatiuā fieri ex alia præexistenti cognitione intellectus, scilicèt ex simplici appræhensione. Tertiò Alij eam restringunt ad solam cognitionem demonstratiuam, quia hæc sola potest absolutè appellari doctrina. Et vltimò alij illam intelligunt de omni cognitione discursiua, quæ fit ex præcedenti cognitione principiorum, ex quibus procedit intellectus discurrendo ad cognitionem eorum, quæ ex talibus principijs deducuntur. Quæ discursiua cognitio siue scientifica sit, siue probabilis, in Magistro appellatur doctrina, & in Discipulo disciplina. Et hæc vltima expositio videtur ad mentem Aristotelis: nam posita illa vniuersali propositione; statim probat eam inductione facta in demonstrationibus Mathematicæ, & in Syllogismis, & inductionibus probabilibus Dialecticæ: ergo iuxta mentem Aristotelis propositio illa intelligitur non solùm de cognitione habita per demonstrationem, sed etiam per quamcunque argumentationem, seu discursum.

2. *Dubitatur secundò*, Quot sint in demonstratione præcognitiones, & præcognita? Respondeo breuiter, præcognitiones esse duas, præcognita verò tria. Nam supposito quòd omnis cognitio discursiua fit ex præexistenti cognitione, vt dictum est; ante cognitionem scientificam, quę in nobis est discursiua, aliqua sunt necessariò præcognoscenda: hæc autem

tem sunt tria, nempe subiectum, prædicatum, & principium. Subiectum, quia non possumus de eo demonstrare aliquid, nisi præcognoscamus quid sit ipsum subiectum. Similiter prædicatum, quia non possumus demonstrare, illud conuenire subiecto, nisi prius cognoscamus quid sit tale prædicatum. Et tertiò principium, quia præmissæ, quæ sunt integrum principium conclusionis, debent prius cognosci vt veræ, vt ex illis inferatur conclusio. Ex quo euidenter sequitur, præcognitiones esse tantùm duas, vnam qua cognoscimus quidditatem subiecti, & prædicati: alteram, qua cognoscimus veritatem præmissarum.

3. *Dubitatur tertiò*, An assensus præmissarum causet in genere causæ efficientis assensum conclusionis? Est omninò certum, assensum præmissarum esse quodammodo causam assensus conclusionis. Quia propria ratio discursus non consistit in hoc, quòd vnum cognoscatur post aliud secundùm successionem temporis: id enim vel non est necessarium, vel si requiritur, non tamen est sufficiens; siquidem possunt plures propositiones disparatæ vna post aliam successione temporis cognosci absque eo, quòd efficiant verum discursum, vt patet: ergo propria eius ratio consistit in eo, quòd vnius cognitio ex alterius cognitione causetur.

4. Difficultas est de genere causæ efficientis, an in eo genere causæ assensus præmissarum concurrat ad assensum conclusionis. Et ratio dubitandi est, quia causa efficiens agit, inquantum est actu in rerum natura: sed quando intellectus assentitur conclusioni, iam præterijt assensus præmissarum: ergo ipse non potest esse causa efficiens assensus conclusionis. Probatur minor, quia in intellectu non possunt esse simul plures cognitiones, sed vna post aliam, vt docet S. Th. 1. p. qu. 59. art. 4. Ergo quando intellectus assentitur conclusioni, assensus præmissarum non est.

5. Nihilominus dicendum est, assensum præmissarum esse causam efficientem assensus conclusionis. Hęc sententia est communis inter DD. Et probatur efficaciter; quia illud, quod constituit potentiam in actu primo ad efficiendum, concurrit cū ea efficienter ad actum secundùm: sed per species intelligibiles præmissarum, & assensus illarum constituitur intellectus in actu primo ad assentiendum conclusioni: ergo species præmissarum, & assensus earum concurrunt efficienter ad assensum conclusionis. Probatur minor; tum quia intellectus nude consideratus non est sufficienter determinatus in ratione causæ ad talem assēsum producendum, quod tamen habet existente assensu præmissarum: tum etiā quia in assensu conclusionis non solùm inuenitur ratio communis intellectionis, quę per se primo correspondet intellectui, & ratio etiam intellectionis talis obiecti, quę per se primò correspondet speciei intelligibili; sed etiam ratio intellectionis discursiuæ, quę prout sic refunditur tanquam in causam per se in preexistentem cognitionem præmissarum: ergo sicut propter ea intellectus, & species intelligibilis concurrunt efficienter ad assensum conclusionis, sic etiam concurret assensus præmissarum.

6. Quomodo autem contingat hæc efficientia, non potest in præsenti

sensi explicari; pendet enim ex dicendis in libris de Anima. Pro nunc tamen dico, quòd vel ipsum verbum mentis, seu species expressa, quę est in assensu pręmissarum, immediatè per seipsam simul cũ intellectu producit assensum cõclusionis vel quòd per assensum pręmissarum producitur in intellectu quędam species intelligibilis, quæ simul cum ipso producat assensum conclusionis.

7. Vnde iuxta hũc duplicem modum dicendi ad rationem dubitandi respondeo, quòd si assensus pręmissarum per seipsum, & immediatè producit assensum cõclusionis, iuxta primum modum, consequenter asserendum est, vtrumque assensum esse simul in intellectu. Neque reputandum est impossibile, esse simul in intellectu duas cognitiones specie distinctas, quando habent inter se ordinem, vt contingit in pręsenti, vbi se habent per modum vnius discursus. Tunc enim intellectus propriè loquendo non cognoscit plura vt plura, quod loc. cit. negat D.Th. sed per modum vnius, quod esse possibile concedit ibidem, & q.58. antec. art.2 Si verò assensus pręmissarum non per seipsum, sed ratione alicuius speciei intelligibilis concurrit ad assensum cõclusionis, iuxta secundum modum dicendi, tunc sufficit quòd species illa maneat in intellectu, etiam si pręterijsset assensus pręmissarum.

8. *Dubitatur quartò*, An assensus pręmissarum necessitet intellectum ad assentiendum conclusioni? Pro decisione pręsentis difficultatis sciẽdum est, dupliciter posse aliquam potentiam necessitari; scilicet *quoad specificationem*; & *quoad exercitium*. Tunc necessitatur *quoad specificationem* quando taliter determinatur ad vnam partem, vt licèt possit suspendere actum; tamen si velit operari, actus debet esse illius speciei, ad quã determinatur, & non potest esse alterius. Tunc verò necessitatur *quoad exercitium*, quando taliter determinatur, vt non possit suspendere, aut cessari ab actu. Verbi gratia voluntas in via necessitatur quoad specificationem ad amandam bonitatem in communi; quia licèt possit non exercere actum circa illam; tamen si vult exire in actum, necessariò debet esse amoris, & non odij. In patria verò eadem voluntas necessitatur quoad exercitium à bonitate diuina clarè visa; quia non solùm non potest eam odisse, sed neque suspendere, aut cessare ab amore illius, quam vndequaque diligibilem clarè conspicit intellectus.

9. Hoc prænotato, ad præsens dubium respondeo, cognita bonitate consequentiæ, assensum præmissarum necessitare intellectum tam quoad specificationem, quàm quoad exercitium ad essentiendum conclusioni. Hæc conclusio quoad vtramq; partem est communis, præsertim inter Thomistas. *Prima pars probatur*; Quia necessitas quoad specificationẽ est determinatio potentiæ ad aliquẽ actum, itaut quamuis ipsum possit suspendere, nequeat tamen elicere actum oppositum: atqui posito assensu præmissarum ita determinatur intellectus ad assentiendum conclusioni, vt nequeat illi dissentire: ergo necessitatur ad illum quoad specificationem. Probatur minor, quia intellectus nequit dissentire vero clarè cognito, sicut nec voluntas abhorrere à bono: atqui cognitis præmissis vt veris, & visa bonitate conse-

quentiæ, clarè cognoscit conclusionem esse veram, cum ex antecedente vero sequi nequeat consequens falsum: ergo non poterit dissentire conclusioni. *Probatur secunda pars;* Quia potentiam necessitari quoad exercitium alicuius actus, est ita determinari ad illum eliciendum, vt non possit illum suspendere: atqui per assensum premissarum ita determinatur intellectus ad assensum conclusionis, vt non possit ipsum suspendere: ergo. Probatur minor; potentia naturalis positis omnibus ad agendum requisitis non potest non agere, seu actionem suspendere (hec enim est differentia causæ naturalis, seu necessariæ à libera) atqui intellectus est causa naturalis, & non libera formaliter; ergo positis omnibus ad assentiendum conclusioni requisitis, quę sunt assensus præmissarum, non potest non assentiri illi.

10 Contra hanc secundam partē aliqui Moderni asserunt, quòd posito assensu præmissarum, & cognita bonitate illationis, adhuc intellectus potest suspendere assensum cōclusionis. Et probant duobus argumentis. *Primo*, quia intellectus subditur voluntati quantum ad exercitium actus: ergo postquam assentitur præmissis potest ex imperio voluntatis suspendere actum circa conclusionem. *Secundo*, quia ex eisdem principijs possunt inferri duæ conclusiones, altera directa, altera indirecta, vt patet in *barbara*, & *baralipton*: ergo post assensum præmissarum manet intellectus indifferens ad eliciendam vnam, vel alteram conclusionem: ergo sicut potest voluntas determinare intellectum ad assentiendum alterutri; potest etiā determinare ad suspendendū vtrāq;

11. Respondetur ad primum concedendo antecedens, & negando cōsequentiam: quia voluntas imperans aliquam actionem alterius potentiæ, non potest impedire, quidquid necessariò sequitur ad talem actionem: assensus autem conclusionis necessariò sequitur ad assensum præmissarū, vt ostensum est: & ideo voluntas nō potest impedire illum. Quę doctrina confirmatur exemplo potentiæ visiuę, nam licèt voluntas possit retrahere potentiam visiuam à visione, auferendo obiectum, aut lucem, vel ponendo impedimentum, claudendo scilicet oculos, vel alio simili modo, tamen si obiectum sit pręsens, medium illuminatū, oculi aperti, &c. non potest impedire visionem Ergo similiter, poterit quidem voluntas retrahere intellectum, ne cogitet de pręmissis, aut de bonitate illationis, diuertendo illum ad alia; Si tamen semel permiserit ipsum cogitare de bonitate illationis, & assentiri præmissis, non poterit voluntas impedire assensum conclusionis. ¶ Ad secundum respondetur, assensum pręmissarum semper necessitare intellectum ad assensum conclusionis directæ: hic enim est proprius, & immediatus effectus illius. Ex quo deinde, facta conuersione talis conclusionis, elicit intellectus assensum conclusionis indirectæ: quia conclusio indirecta non per se primò, & immediatè sequitur ex pręmissis, sed mediante conclusione directa, in qua quodammodo continetur, quatenus potest hæc conuerti in illam.



DISPV-

DISPVTATIO VIII.

De Demonstratione.

1. POST notitiam eorum, quæ præcognosci debent ante demonstrationem, æquum est vt de demonstratione ipsa agamus. Duas autem definitiones demonstrationis adducit Aristoteles 1 poster. c. 2. Prima est: *Demonstratio est syllogismus faciens scire*. Secunda: *Demõstratio est syllogismus procedens ex veris, primis, & immediatis, notioribus, prioribus, causisque conclusionis*. Et vtraque definitio est bona, breuiterque probatur: quia definitio, quæ datur per propriam causam definiti, siue extrinsecam, siue intrinsecam, est bona definitio; descriptiua quidem, si causa sit extrinseca; essentialis verò, si sit intrinseca: sed istę definitiones sunt huiusmodi: ergo &c. Probatur minor; quia demonstratio est instrumentũ quoddam intellectuale, cuius proprius finis est scientia; per quã traditur prima definitio: ipsumque tanquam ex propria materia constat ex propositionibus veris, immediatis, notioribus, &c. per quam traditur secunda: ergo vtroque modo rectè definitur demonstratio.

2. Aduerte, Aristotelem his definitionibus solùm definire demonstrationem *propter quid*, cui absque controuersia conuenit generare sciẽtiam, & procedere ex immediatis, prioribus, &c. quia nondum egerat in illo secundo capite de alia demõstratione, quæ dicitur *quia*.

3. Prima ex his definitionibus nõ indiget explicatione: vndè solùm particulæ secundæ definitionis hic declarandæ sunt. Prima est *ex veris*, quia in demonstratione præmissæ sunt causa veritatis conclusionis, per quas ipsa conclusio probatur: & ita sicut conclusio demonstrationis taliter est vera vt repugnet esse falsa; sic etiam præmissæ sunt necessariò veræ. Secunda *ex primis, & immediatis*: Duæ istæ particulæ in re non differunt; Nam propositio immediata in præsenti est illa, qua non est alia prior, per quam probatur; & sic necessariò debet esse prima. Ponuntur tamen ad explicandum duos respectus eiusdem propositionis: nam eadem propositio dicitur immediata, in quantùm caret alia priori per quam demonstratur: prima verò, comparatione aliarum subsequentium, quæ per illam demonstrantur. Hic aduerto, non omnem demonstrationem proximè procedere ex propositionibus immediatis, vt patet quando de subiecto demonstratur tertia passio per secũdam, aut secunda per primam. Vnde Aristoteles dicens, demonstrationem procedere ex immediatis, intelligendus est de propositionibus immediatis proximè, vel remotè: quia quando aliqua pręmissa est propositio mediata, ad hoc vt generet scientiam alicuius conclusionis, opus est, talem præmissam cognosci per resolutionem ad primam, & immediatam propositionem, vnde deriuatur.

4. Ex tribus subsequentibus particulis, hæc vltima, *causisque conclusionis*, priùs explicanda est, quia ex eius declaratione duæ priores innotescunt. Pro eius ergo intelligẽtia sciendum est, quòd semper præmissæ sunt causæ in cognoscendo conclusionis; id est, sunt id, quod

assumit intellectus ad cognoscendã conclusionem, & per quod notificatur illi. Vltra hoc autem aliquando continent etiam causam in essendo eiusdem conclusionis; vt quando per essentiam demonstratur prima passio, & per hanc secunda, &c. Et tunc præmissæ dicuntur causæ in essendo, & cognoscendo simul: quia intellectus assumit vt causam cognitionis id, quod est verè causa rei. Aliquando verò præmissæ non cõtinent veram causam conclusionis, sed potius effectum eius, aut quid aliud ipsa posterius, vt quando causas demonstramus per signa, aut effectus earum. Et tales præmissæ dicuntur causæ in cognoscendo tantùm: quia id, quod reuera non est causa, assumitur ab intellectu vt causa ad cognoscendam conclusionem. Supposito ergo quòd Aristoteles in dicto cap. 2. solùm definiat demonstrationem *propter quid*, quę semper est à priori: manifestè sequitur, hanc vltimam particulam, *causisque conclusionis*, intelligendam esse de causis in essendo, & cognoscendo simul.

5. Explicata hac vltima particula, iam facilè intelliguntur aliæ duę, *ex notioribus, & prioribus*. Si enim præmissę debent esse causę in essendo conclusionis; consequenter erunt notiores illa: siquidem causa secundùm se notior est, quàm effectus: Erunt etiam priores propter eandẽ rationem; quia causa semper est prior effectu, saltem prioritate naturæ.

6. Explicata essentia demonstrationis, accedimus ad explicandam diuisionem illam, qua demonstratio diuiditur in *quia*, & *propter quid*. Est ergo demonstratio *propter quid* illa, quę non solùm probat passionem inesse subiecto; sed etiam ostẽdit, *propter quid* illi conueniat: quod fit adducendo in præmissis propriã, & adæquatam causam talis passionis. Cum enim vnaquęque passio habeat proprium principium, seu propriũ *quid*, à quo dimanat; consequenter habet proprium *propter quid*, per quod probetur, nempe rationem illam, seu illud *quid*, à quo dimanat. Et quando hoc ponitur pro medio ad concludendam talem passionem, fit demonstratio *propter quid*. ¶ Demonstratio verò *quia* est illa, quę tantùm ostendit passionem conuenire subiecto; non autem adducit propter quid illi conueniat. Vnde in presenti ly *quia*, non accipitur causaliter, sed est pura coniunctio. Itaque demonstratio *quia* in hoc differt à demonstratione *propter quid*, quòd in hac scitur passionem conuenire subiecto, & propter quid illi conueniat; in illa verò solùm scitur passionem conuenire subiecto, non autem propter quid illi conueniat. Sit exemplum in hac demonstratione: *Omne respirans est animal; nullum lignum est animal; ergo nullum lignum respirat*. Animal enim non est causa propria respirationis; & ideo non omne animal est respirans, sed illud tantum, quod habet pulmones, defectu quorum pisces non respirant.

7. Ex his sola demonstratio *propter quid* appellanda est simpliciter, & absolutè demonstratio; alia verò tantùm secundùm quid. Ratio est, quia demonstratio est medium, seu instrumentum ad acquirendam scientiam: ergo illa sola dicenda est absolutè, & simpliciter demonstratio, per quam absolutè, & simpliciter sci-

mus: sed tunc solùm dicimur simpliciter scire aliquid, quando causam, cur ita sit, cognoscimus, quod fit in demonstratione propter quid: ergo hęc tantùm dicenda est simpliciter demonstratio. ¶ Confirmatur: quia quantumcumque concludamus hominem esse risibilem per effectum ridendi nobis notum; adhuc non quiescit intellectus, neque existimat se id absolutè scire, vsque dum cognoscat propriam causam, seu proprium propter quid risibilitatis: ergo demonstratio *quia* non est dicenda absolutè, & simpliciter demonstratio. ¶ Ex dictis collige, solùm per demonstrationem *propter quid* generari habitum scientię, & non per demonstrationem *quia*.

DISPVTATIO IX.

De scientia, quæ est effectus demonstrationis.

1. SCientia est *habitus versans circa propositiones vniuersales, necessarias, & mediatas*. In hac definitione priores particulę exprimūt genus proximum, in quo scientia conuenit cum habitu principiorum: per vltimam verò distinguitur ab illo. Est enim proprium habitus principiorum versari circa propositiones indemonstrabiles, quę scilicet non habent medium, per quod probantur, sed per seipsas cognoscuntur. Et ex his procedit scientia ad demonstrandum suas conclusiones: ac proinde versatur circa propositiones mediatas, seu per aliud notas.

2. Vndè patet, esse falsam opinionem illam, quam habent aliqui Moderni, asserentes habitum scientię non distingui ab habitu principiorum talis scientię; sed eundem habitum, quo assentimur principijs, extendi ad assentiendum conclusionibus. Est enim hęc sententia expressè contra Aristotelem 6. ethic. cap. 6. & lib. 2. poster. cap. vlt. Et confutatur efficaciter ex diuersa ratione formali, sub qua fiunt assensus principiorum, & conclusionum. Quamuis enim ad assentiendum principijs prerequiratur cognitio sensus, & explicatio terminorum; hęc tamen materialiter se habent ad talem assensum; & tota ratio formalis assentiendi illis est, immediata connexio predicati cum subiecto. Sed hæc non potest esse ratio formalis assentiendi conclusionibus, vt patet; siquidem eis assentitur intellectus propter connexionem extremitatum cum medio visam in premissis. Ergo principia, & conclusiones habent diuersam rationē formalem obiecti: & per consequens exposcunt diuersos habitus.

3. Scientia autem est duplex, alia subalternans, alia subalternata. Sciētia subalternans idem est, quod sciētia sub se alteram continens. Scientia verò subalternata idem est, ac scientia, quę sub altera continetur. Vna autem scientia continetur sub altera ratione obiecti. Et hoc fit, quando obiectum vnius scientię addit obiecto alterius scientię differentiam aliquam accidentalem: vt Musica subalternatur Arithmeticę, quia numerus sonorus, qui est obiectum Musicę, addit supra numerum, qui est obiectum Arithmeticę sonoreitatem, quę est differentia accidentalis. Similiter Perspectiua, quę agit de linea visuali, subalternatur Geometrię, quę agit de linea; siquidem visualitas est differentia accidētalis respectu lineę.

4. Non

4. Non sufficit autem quęcumq; differentia accidentalis addita obiecto superioris scientię, ad constituendam scientiam subalternatam; sed requiritur, quòd differentia illa accidentalis sit talis naturę, vt ex coniunctione ad obiectum superioris scientię, habeat speciales passiones, quę possint de ipsa demonstrari, & consequenter constituat speciale genus scibilis: vt patet in exéplis adductis. Sonus enim sic est materia accidentalis respectu numeri, vt tamen ex coniunctione ad ipsum resultent in sonis speciales passiones, nempè consonantię: quę neque oriuntur à sonis secundùm se, nec à numero secundùm se, sed à numero applicato sonis, seu à sonis vt habentibus in se numerum: propter quod numerus sonorus constituit speciale genus scibilis. Et idem est de linea visuali, & alijs similibus.

5. Quæres primò; An scientia subalternata sit vera scientia? Ratio dubitandi est: quia obiectũ scientiæ subalternatæ addit differentiam accidentalem supra obiectum subalternantis: ergo integrum obiectũ scientiæ subalternatæ est ens per accidens; siquidem constat rebus pertinentibus ad diuersa prędicamenta: sed de ente per accidẽs nõ potest esse sciẽtia: ergo sciẽtia subalternata versans circa illud, non est vera scientia.

6. Dicendum tamen est, scientiam subalternatam esse veram sciẽtiam. Ita tenent omnes Dialectici. Et probatur ratione: quia tunc scire arbitramur vnamquamque rem, cũ putamus causam cognoscere, ob quam res est, illius causam esse, neque posse eam aliter se habere: sed quando in perspectiua, ex hoc principio Geometriæ, quòd *lineæ ductæ ab eadem basi ad punctum distantiae, causant minorem angulum*, concludimus, res à longe apparere minores; cognoscimus hanc esse propriam causam talis conclusionis, neque posse eam aliter se habere. Et idem est quando in Musica ex principijs Arithmeticę concludimus numerum sonorum causare consonantiam, & sic de alijs: ergo scientiæ subaltepnatę sunt veræ scientiæ.

7. Pro solutione autẽ rationis dubitandi supponendũ est primò tan. quã certũ, obiectũ scientiæ subalternatæ neque esse solum obiectum subalternantis, neque solam differentiam accidentalem, quæ additur, sed vtrumque simul: v. g. obiectum Musicę neque est numerus tantùm, neque tantùm sonorum, sed hoc simul, scilicet numerus sonorus. Et ratio est, quia numerus solùm est obiectum Arithmeticæ: sonorum etiam seorsim sumptũ pertinet ad Philosophiam: inter has autẽ scientias Musica est media, & ab vtraque distincta: ergo neutrum solum, sed vtrumque simul considerat vt proprium obiectum. Quo posito, duo restant explicanda. Alterum est, quo pacto vtrumque istud consideretur in Musica. Alterum verò, quo pacto ex vtroque fiat vnum per se.

8. Pro quo secundò notandũ est, quadrupliciter posse excogitari, quòd Musica consideret totum hoc, quod est numerus sonorus. *Primò*, ita vt vtrumque quasi in recto secũdùm suas proprias rationes formales pertineant ad istam scientiam. Et hoc non potest esse: tùm quia sic efficiunt vnum per accidens, vt patet: tum etiam, quia secundùm tales rationes formales sunt scibilia à duabus scientijs: ergo prout sic nõ pos-

sunt ad tertiam aliam pertinere. *Secundò*, ita quòd vnum corũ sit materiale, & aliud formale. Et neque hoc dici potest, quia vtrumq; istud, scilicet numerus sonorus per se consideratur in Musica: siquidem passiones, quas demonstrat, vtriq; per se conueniunt. Non enim numerus secundùm se, aut sonus secundùm se, habent consonantiam, sed numerus vt est in sonis, vel sonus vt habet numeros. *Tertiò* potest intelligi, quòd vtrumque istud consideretur in Musica, non secundùm proprias rationes, sed secundùm aliquod tertium compositum resultans ex ipsis. Et etiam neque hoc dici potest, quia iàm non verificaretur, Musicam considerare vtrumque, sed illud tertium, quod resultat. Et *quarto modo* intelligi potest, & debet, Musicam considerare vtrumq; istud, scilicet numerum sonorum, non secundùm suas proprias rationes quasi in recto, sed secundùm quod vnũ inerat in ratione alterius, & est principium eius.

9. Pro cuius intelligentia notandum est tertiò, sonorum posse dupliciter considerari: Vno modo secundùm se, prout est obiectum auditus, & solùm dicit, quòd causetur in aere ex percussione corporum. Et hac ratione non spectat ad Musicam, sed ad Philosophiam. Secundo modo sumitur, vt dicit cõcentum, & harmoniam: Et sic pertinet ad obiectum Musicæ, includitq; quandam correspondentiam ortam ex eo, quòd sonus fiat cum proportione, & numero. Vnde etiam fit, numerum posse dupliciter considerari: vno modo secundùm se, & sic est obiectum Arithmeticæ: alio modo, vt est principium illius concentus, seu armoniæ, quæ fit in sonis; & hoc modo pertinet ad Musicam.

10. Et quo iam facilè intelligitur, quomodo vtrumque istud consideretur in musica. Consideratur enim quasi in recto sonorum, vt dicit cõcentum, & harmoniam: & consideratur quasi in obliquo numerus, secundùm quod est principium talis concentus: & sic per se consideratur vtrumque. Idem dicendum est in obiecto Perspectiuæ, nam visuale secundùm se pertinet ad Philosophiam: & linea secundùm se ad Geometriam: sed visuale secundùm quod fit per angulos, est obiectum Perspectiuæ: & sic linea includitur in hoc obiecto vt principium angulorum.

11. Per quod etiam explicatur secundum, quod proposuimus, quomodo scilicèt efficiant vnum per se. Dicimus enim quòd sicut linea, & superficies: quamuis secundùm se sint duo entia in actu, vt potè duæ species quantitatis; nihilominus tamen si linea consideretur, non vt est diuisibilis secundùm propriam dimensionem, sed secundùm quod est principium latitudinis, facit cum illa vnum per se, quia superficies est latitudo terminata lineis: sic in præsenti, quamuis numerus secundùm se sumptus, non faciat vnum per se cum sonoro, tamen numerus vt est principium sonori, & sonorum prout terminatur numero, constituit vnum per se. Et idem est de linea, & visuali.

12. Quæres secundò, An scientia sit compossibilis cum opinione circa idem obiectum? Noto, hìc non loqui de eodem obiecto secundùm diuersa prædicata; sic enim benè

possunt

possunt esse simul scientia, & opinio, vt patet: sed de eodem secundùm idem prædicatum. Neque loqui in diuersis hominibus, vel in eodem homine pro diuersis temporibus propter eandem rationem Quarè difficultas præsentis quæsiti est: An idem homo habens scientiam de aliqua propositione, possit eodem tempore de eadem propositione etiã habere opinionem. Cum autem scientia, & opinio sumi possint vel pro actibus, vel pro habitibus, in vtroque sensu discutienda à nobis est.

13. Prima conclusio. Scientia & opinio sumptæ pro actibus, non possunt esse simul in eodem intellectu de eadem propositione. Est S. Th. q. 14. de verit. art. 9. ad 6. vbi sic ait: *Non videtur possibile, quòd aliquis de eodem habeat scientiam, & opinionem, quia opinio est cum formidine alterius partis, quam formidinem scientia excludit*. Hoc idem docet 2. 2. q. 1. art. 5. ad 4. alijsque in locis, quem sequuntur omnes eius discipuli, & plures alij. Probatur ratione. Quia assensus scientificus, & assensus opinatiuus de eadem propositione habent effectus omninò repugnantes, & vnus intrinsecè includit priuationem alterius: ergo non possunt esse simul in eodem intellectu. Consequentia patet. Antecedens verò probatur; quia assensus scientificus est iudicium, quod res non potest aliter se habere: opinatiuus verò iudicat, posse rem aliter se habere: per illum manet intellectus omninò conuinctus circa veritatem propositionis; per istum verò non manet conuinctus circa prædictam veritatem: ratione illius est omninò certus, & firmiter adhæret conclusioni; ratione istius verò est incertus, & formidat de illa: sed certitudo, & incertitudo, firmitas, & formido, esse conuinctum & non esse conuinctum, & similia omninò inter se pugnant, & contradictoriè, seu priuatiuè opponuntur: ergo repugnat tales actus esse simul in eodem intellectu respectu eiusdem propositionis.

14. Respondent primò Aduersarij, hæc omnia inter se pugnare, si assensus fiat per idem medium: cæterum quando habentur diuersa media, nullum esse inconueniens, aiũt, quòd intellectus simul sit certus, & incertus de eadem propositione; quia est certus prout respicit medium necessarium, & incertus prout respicit medium contingens. ¶ Sed contra est: Quia affirmatio, & negatio; quæ includuntur in huiusmodi assensibus, per quos intellectus est certus, & incertus de eadem propositione, non feruntur in ipsa media, sed in subiectũ, de quo affirmatur, & negatur tale prædicatũ: ergo nõ obstante diuersitate mediorũ, verè datur ibi affirmatio, & negatio eiusdẽ de eodẽ; & per consequens vera oppositio. *Confirmatur, & explicatur magis hæc ratio*: Quia diuersitas mediorum tunc solùm compatitur in eodem intellectu respectu eiusdem veritatis, quando ipsa media non inducunt effectus contradictoriè, seu priuatiuè oppositos: atqui diuersa media scientiæ, & opinionis respectu eiusdem veritatis inducunt in intellectu effectus contradictoriè oppositos: ergo non possunt esse simul in eodẽ intellectu respectu eiusdem veritatis. Probatur minor, nam per medium scientiæ intellectus peruenit ad hoc, vt red-

redd atur certus: per medium verò opinionis peruenit ad hoc, vt reddatur incertus: sed quòd idem intellectus sit simul certus, & incertus de eadem propositione, sunt effectus contradictoriè oppositi, etiã si habeantur per diuersa media: sicut si idem oculus ducatur ad videndum clarè vnam rem, & non videndum clarè eandem rem, sunt effectus cõtradictorij, & est quid impossibile licèt hoc fiat per diuersa media: ergo &c. *Confirmatur secundò*, quia ex dicta solutione sequitur, posse esse simul in eodem intellectu assensum scientificum, & erroneum eiusdem conclusionis: hoc autem est manifestè falsum, vt omnes fatentur: ergo. Sequela probatur, quia tales assensus necessariò eliciẽdi sunt per diuersa media; siquidem primus habetur per medium demonstratiuũ; secundus verò per medium oppositum, vt patet: ergo si idem intellectus per diuersa media potest esse certus, & incertus de eadem propositione; poterit esse scientificus, & erroneus circa illam.

15. Respondent secundò, non esse de essentia opinionis, vt actu formidet de obiecto, sed solùm illi assentiri ex motiuo non conuincenti: & licèt assensus nitens tali motiuo formidare postulet de veritate obiecti, tamen talis formido impeditur ab assensu certo scientiæ, cui assensus opinionis coniungitur. ¶ Sed contra est: quia sicut scientia est assensus intellectus circa rem, quę aliter se habere non potest: ita opinio est assensus intellectus circa rem; quę aliter se habere potest: sed assensus rei quę aliter se habere non potest, est actualiter certus: ergo assensus rei, quæ aliter se habere potest, est assensus actualiter incertus. *Confirmatur*, quia assensus nitens adæquatè aliquo motiuo, sequitur proportionaliter naturam motiui: ergo si motiuum est fallibile, assensus erit formidolosus. Et ratio à priori est: quia in assensu nitente solùm motiuo fallibili apparente vt fallibili, nõ est aliud assentiri, aliud formidare de opposito, sed est vnicus actus assentiens motiuo fallibili trepidanter.

16. Secunda conclusio. Etiam quantùm ad habitus scientia, & opinio non possunt esse simul in eodem intellectu de eadẽ propositione. Ita Thomistę omnes. Et probatur facilè, quia habitus, & eorum actus versantur circa idem obiectum, & habent eandem rationem formalem attingendi illud: ergo quando actus ipsi repugnant per ordinem ad obiectum, seu in modo attingendi, & iudicandi de illo, etiam repugnabunt ipsi habitus: sed vt patet ex dictis in pręc. concl repugnantia inter actum scientificum, & opinatiuum sumitur ex eo, quòd alter iudicet de obiecto non posse aliter se habere, alter verò posse aliter se habere: ergo eadem repugnantia inuenitur inter habitũ scientię, & opinionis ¶ Confirmatur quia habitus proximè specificatur per actus, sicut actus per obiectum: ergo sicut ex obiecto sumitur intrinseca oppositio actuum, sic etiam ex actibus sumitur intrinseca oppositio habituum: ergo si actus sunt ex natura sua incompossibiles, secundũ quod versantur circa obiectum, etiã erunt ex natura sua incompossibiles habitus.

17. Tertia conclusio. Habitus scientię, & actus opinionis compatiuntur in eodem subiecto. Ita Ioannes

nes à S. Th. hîc q. 26. art. 5. concl. 3. Et probatur, quia inter habitum, & actum non est oppositio formalis, sed effectiua, vel dispositiua, quatenus actus disponit ad habitum oppositum, vel quatenus habitus producit actum, qui alteri actui opponitur formaliter; inter se tamen actus & habitus non opponuntur: habitus enim solùm dicit inclinationem ad aliquid, actus verò actualem tendētiam; stat autem benè cum inclinatione ad vnum, tendentia ad oppositum, sicut lapis stante grauitate, quę inclinat ad centrum, potest tendere sursum per impulsum violentū; Et habens habitum fidei potest actu videre Deum per modum transeuntis, vt expresse docet D. Th. 2. 2. q. 175. art. 3. ad 3. Ergo similiter habens habitum sciētię poterit elicere actum opinionis, nec tamen ex hoc amittit scientiam. At verò è contra qui habet habitum opinionis, si eliciat actum demonstratiuum, hoc ipso illo vnico actu generat habitum scientiæ perfectum, quia est perfectè conuincens intellectum, & vincens totam eius resistentiam, & talis habitus non compatitur cum habitu opinionis.

18. Contra primam conclusionē obijcies 1. Actus contrarij circa idē obiectum possunt esse simul in voluntate: ergo etiam actus opinionis & scientiæ in intellectu. Consequētia patet ex paritate rationis. Antecedens verò probatur; Nam voluntas Christi simul afficiebatur lætitia, & tristitia circa idem obiectum, scilicet passionem suam; de qua tristabatur, vt malum naturæ, & gaudebat, vt redemptiua hominum. ¶ Respond. quòd dicti contrarij motus tristitiæ, & gaudij in voluntate non versantur circa idem obiectum secundùm eandem rationem boni, & mali, sed secundùm diuersam, lætabatur n. Christus Dominus de sua passione, quatenus erat in salutem generis humani; tristabatur verò de ea, quatenus erat malum naturę, quę sunt obiecta diuersa formaliter, licèt sit idem materialiter.

19. Ob. 2. Contra secundam cōclusionem. Qui habet habitum sciētiæ, potest vti medio probabili ad probandam conclusionem iam demonstratam; Sæpe enim contingit accumulare media, & argumenta ad idem probandum, quorum aliqua sunt probabilia, alia verò demonstratiua: tunc per talia argumenta probabilia generatur aliquis habitus (multiplicati n. actus generant habitum) & non scientificus, vt de se patet: ergo opinatiuus: ergo simul cōpatiuntur isti habitus. ¶ Respond. quòd ille, qui habet habitum scientiæ, si eliciat actus opinionis, tunc talis actus non generabit habitum propter impedimentum subiecti, in quo est habitus scientiæ, qui firmiter, & perfectè actuat subiectum, nec compatitur cum opposito habitu.

20. Solet hîc ab aliquibus excitari similis quæstio, an scientia sit compossibilis cum fide? Ad quam eodem modo respondendum est, quia eędē rationes, quæ probant imcompossibilitatem scientiæ cum opinione, suadent etiam incompossibilitatem eiusdem scientiæ cum fide, proportione seruata: nam fides importat essentialiter ineuidentiam, & obscuritatem, scientia è contra euidentiā, & cognitionem claram; implicat autem quòd idem intellectus eidem propositioni simul assentiatur clarè, &

& obscurè, euidenter, & incuidenter; sicut, vt probauimus, implicat quod ci essentiatur certè simul, & formidolosè. ¶ Neque ex hoc sequitur, quòd Philosophus Christianus esset peioris conditionis, quàm rusticus fidelis, quia rusticus fidelis per fidem Deum esse cognosceret, & consequenter omnino certè, & Philosophus fidelis per scientiam, quæ fide est minus certa. Non inquam hoc refert: quia Philosophus Christianus æquè firmiter, & certò prædictæ propositioni assentitur, ac rusticus fidelis: licèt enim scientia separata à fide non habeat ita certò, & firmiter inclinare intellectum in assensum prædictæ propositionis, ac habet fides, tamen quando coniungitur cum fide in eodem intellectu, taliter confortatur, vt ex subordinatione, quã ad eam habet, æquè firmiter, & certò inclinat in prædictum assensum, sicut inclinat fides. Hoc autem dupliciter explicari potest. *Primò*, quòd scientia, & fides se mutuò iuuant in his, in quibus non opponuntur; vndè cum non opponantur in certitudine, in illa se mutuò iuuant: & sic ex habitu fidei deriuari potest certitudo quædam supernaturalis in assensum scientificum, quẽ ille Philosophus habet de hac veritate, *Deus est*. *Secundò*, quòd sicut cogitatiua, & appetitus sensitiuus hominis, ex eo quòd radicantur, & coniunguntur cum intellectu, & voluntate in eodem supposito, participant aliquam perfectionem, ratione cuius possunt aliquo modo discurrere, & liberè operari: ita etiam scientia, ex eo quòd in Philosopho Christiano coniungitur cum fide, participat aliquam perfectionem, ratione cuius potest suo actui certitudinem quandam ordinis supernaturalis communicare. Et hæc dicta sufficiãt pro hac disputatione, & tota Logica in honorẽ, & laudem Dei, Beatissimæ Virginis Mariæ, S. Thomæ Aquinatis, & omnium Sanctorum.

FINIS.

INDEX

Titulorum, qui in hoc primo tomo continentur.

BREVIS INTRODVCTIO AD LOGICAM.

DISPVTATIONES IN LOGICAM.

PRIMA PARS LOGICÆ.

S

SECVNDA PARS LOGICÆ.

TERTIA PARS LOGICÆ.

FINIS.



Primus numerus paginam, secundus columnam, tertius lineam designat.

pag.col.l.	errata	corrige.
1.2.25.	tationale	rationale
3.1.25.	confusionē	confusionem
6.1.31.	peotinent	pertinent
8.1.15.	diuesitate	diuersitate
16.1.25.	iuuenitur	inuenitur
22.2.37.	sententiam	sententia
22.2.9.	ipsanon	ipsa non
23.2.41.	*debissimum*	*debilissimum*
24.2.45.	particpant	participant
24.2.45.	& sic ipse	& sic ipse
25.1.41.	mondum	mundum
29.1.11.	inrtinsecè	intrinsecè
30.2.31.	determinata	determinatæ
44.2.25.	couueniunt	conueniunt
63.2.17.	Dubium 4.	Dubium 3.

Lector beneuole si alia inuenies errata, tua humanitate corrige.